

FLORA PERUVIANA, ET CHILENSIS,

SIVE DESCRIPTIONES, ET ICONES

*PLANTARUM PERUVIANARUM,  
ET CHILENSIUM,*

SECUNDUM SYSTEMA LINNAEANUM DIGESTAE,

CUM CHARACTERIBUS PLURIUM GENERUM

EVULGATORUM REFORMATIS.

*AUCTORIBUS*

HIPPOLYTO RUIZ, ET JOSEPHO PAVON,

REG. ACAD. MEDIC. MATRIT. SOCIIS.

---

TOMUS IV



## PRAEFATIO (\*)

Novis plantarum Generibus, quae in Florae Prodomo, ejusdem Vegetabilium Systemate, tribusque Specierum Tomis jam evulgatis continentur, adjungimus in hoc volumine tria nova genera *Artrostemmam* scilicet *Thibaudiam*, et *Villamilliam*; quae quidem CXLIX jam editis addita CLII Generum novorum numerum expleant; quo ex numero eximere oportet *Acunnae* Genus, quod ad *Bejarias* reduximus rationibus in earum descriptione, infraque hic exponendis permoti; atque adeo CLI Genera nova hactenus a nobis evulgata fuisse apparet.

In hoc autem Volumine CLXIV plantarum, majori ex parte, usu et viribus, tum medicis, tum economicis insignium descriptiones Lector inveniet. Earum CXXIV plantarum singularum Icones in C Tabulis distributas exhibemus, ceteras tantum describimus.

In hunc usque diem CMXXII in lucem proditae a nobis sunt: DCCXXII quidem iconibus illustratae; ceterae sine iconibus descriptae. Harum vero plurimum tabulas in Supplemento proferre conabimur; illarum praesertim ab aliis auctoribus nondum descriptarum, aut quae in eorum Operibus non satis diligenter expressae fuerint.

Praeterea in hoc Volumine inseruimus, uti in praecedentibus polliciti sumus, correctos, reformatosque nonnullos nostrorum Generum in Prodomo evulgatorum characteres, et quorundam ipsius Linnaei, aliorumque Botanicorum, ut v. g. *Dodoneae*, *Weinmanniae*, *Francoae*, *Sophorae*, et *Myrospermi*.

Perficere quoque emmendare, et illustrare studuimus plurimum plantarum jam cognitarum descriptiones, et icones, aliarumque, quas multo ante a nobis in America detectas Botanici alii in lucem

---

(\*) La transcripción se ha hecho conservando la ortografía del manuscrito original, salvo en la acentuación y añadiéndole la portada. E. A. L.

edere properarunt, imaginibus, et descriptionibus minus accuratis, ut ex. gr. *Dodoneam viscosam* Linnaei, *Weinmanniam dentatam* Flor. Peruv. seu *Weinmanniam trichostemam* Cavanill.; *Larream glaucam* Orteg. Decad. seu *Hoffmanseggiam falcariam* Cavan.; *Larream gracilem* Flor. Peruv., seu *Hoffmanseggiam trifoliatam* Cavan.; *Foveolariam ovatam* Flor. Peruv., seu *Strigiliam racemosam* Cavan.; *Malpighiam nitidam* Linn. quam D. Cavan. in *Malpighiam nitidam*, et *M. Armeniacam* dispescuit; *Erythroxyton Coca* Cavanill. &ra.

Aminadversiones botanicas in universa Cavanilles Opera hoc pacto persequentes, quas in Ruizii Quinologiae Supplemento elaborare in nobis recepimus quasque edendi initium in praecedenti hujus Operibus Volumine eo consilio fecimus, varia nempe dubia disolvendi, laboresque ab indefesso Botanico hispanico inchoatos perficiendi.

Cum quo tempore Prodrumus publici juris factus est, nondum perfectas accuratasque descriptiones variorum Generum nostris affinium, nondum inquam ab manus haberemus incerti ideo num plantae nostrae illarum essent congeneres, opportunius duximus ea tanquam distincta Genera in medium proferre, quam periculo subire diversas aliorum Generum Species in illa inferendi, et annotare tantum curavimus differentiam, quae inter Linnaei ceterorumque auctorum descriptiones, atque inter nostras intercedebat; uti re vera accidit plantis, ex quibus Genus *Aucunnam* constituimus, quas ob pericarpium capsulare, quod D. Mutisius in suis *Bejariae* speciebus bacam nominavit, et ob alias essentielles notas, quae Mutisium fugerunt, a praedicto Genere sejunximus, ad quod num restituimus, ipsi enim D. D. Michaux et Ventenat capsulare describunt *Bejariae* pericarpium, uti anteannos in nostri Prodromi *Aucunnae* caractere generico descripseramus.

Id ipsum forsitam accidet de aliis Generibus, de *Stereoxylo* ex. gr. quod uti D. Zea in Scient. Natur. Annal. refert ad *Escalloniae* Genus Mutissianum pertinet: verum quoniam Zea id non probat, et Mutisius ipse in descriptione, quam Linnaei Filius Supplemento plantarum inseruit, *Escalloniae* pericarpium baccam esset asserit, et D. Smith idem iterat in duabus speciebus quas in suis plantarum iconibus evulgalvit; de eo idem quod de *Bejaria* affirmare non possumus, siquidem *Stereoxyli* pericarpium capsulam constanter esse observatur; quo usque praedictus Zea, Preceptorem suum baccam



pro capsula humanitus scripsse evincat. Quo facto noster *Stereoxyli* character genericus, tanquam character *Escalloniae* reformatus, atque Mutisii et Smithii characteribus absolutior existimari debet.

Sub Genere *Caesalpiniae Pointianam* et *Parkinsoniam* Genera conjunximus iis fundamentis inixi, quae *Cesalpiniae* caractere generico subjecimus.

Inter praetiosas plantarum icones, quas ad hujus Florae incrementum ex Quito, Huayaquil, et Panatahuarum montibus nobis proh dolor! defunctum jam noster predilectus alumnus D. Joann Tafalla missit quatuor *Chinchonae* Species praeter in secundo et tertio hujus Florae Volumine, Quinologiae ejusque Supplemento recensentur: *Cinchona* scilicet *viridiflora*, *rugosa*, *globiflora* et *rubicunda* seu *rubra*; ita a Mercatoribus appellata: quae quidem ab aliis Peruviae et Regni Sanctafidei rubris diversissima est, multoque efficacioribus viribus praedita. Peruviani denique Botanici Generis *Cinchonae* Species in hunc usque diem in Regio Expeditionis Musaeo asservamus: quarum notitia in Matritensi Periodico Gazeta diei 8 Septembris anni 1807 inseruimus: qui etiam XL Specierum nomina vernacula ibidem praemissimus; et quoniam postremarum in urbe Limae adhuc remanentium descriptiones nondum ad manus nostras pervenerant atque ideo eis omnibus trivialia nomina botanica prout oportebat imponere, non potueramus, earum XL Specierum nomina trantun modo vernacula praemissimus. Simul ac autem descriptiones accipiemus, Quinologiam absolutam evulgabimus cuncta in illo Opera conjungentes, quotquot hactenus de hoc argumento in lucem emissimus; quo fiet ut de eorum scripta, qui absque diligenti examine et simplicibus obscuris confusisque aliorum relationibus fere semper innixi, aliquid ad Quinologiam Spectans prodiderunt, illustrentur, et Opus perficiatur mercaturae, et in universum generi humano admodum fructuosum.

In praesenti Volumine plures novae nonnullorum tam novorum, quam cognitorum Generum Species inseruntur. *Lauri* Genus XXVIII speciebus, plerisque novas augetur; *Weinmanniae* XI; *Talini* XI, *Psidii* VI, totidemque *Semarillariae*, *Thibaudiae* et *Axineae*; V denique *Foveolariae* et *Miconiae* Genera.

Admonitum etiam fortasse Lectorem velimus nos tum cum primus nostri Systematis Vegetabilium Tomus sub praelo sudabat ita rationem inire ut posse in tertio Florae et posterioribus voluminibus

omnes nostrorum Generum novorum Species posse includi, uti illic ad eadem volumina referuntur; sed aliarum tam novorum, quam jam cognitorum Generum Specierum insertionem factum est, ut his libris ad quos praedicti *Systematis* plantae referuntur, comprehendendi nequiverint; qua propter suis locis Classium habita ratione collocabuntur, et ad *Systematis* calcem accuratum singulorum Florae voluminum Indicem, eorumque paginarum, ad qua, referantur adjiciemus.

Ceterum ad vitandam confusionem, quae ex imminuto XXIV Classium Systemati earum Linnaei numero oritur, necesse est, qua quidem innovatione nonnulli Botanici recentiores faciliorem tyronibus ad Botanicam aditum se aperituros putabant, plurimis, quae huic consilio renitebantur, non animadversis; classificationi illius sapientissimi viri inhaeribimus non solum quod scriptores primi subsellii eam inter omnes nationes receptissimam, secuti sunt, sed etiam quod majora incomoda, et difficultates in Classium imminutione sese ostendunt, quam in artificiali Linnaei classificatione, qui sane in Philosophiae Botanicae ordinibus naturalibus nonnihil indicavit, unde postea ejus Filius, Willdenow, et Broterus Classium imminutionis consilium caeperunt. Horum primus illas ad XX redegit, quod imitatus est Willdenow; Cavanilles vero ad XV immittit, sub eadem classe Cruciformes et Liliaceas plantas agglutinans neglecta inter utrasque dissimilitudine; Broterus denique ad duodecim eas redegit; atque ita omnes innovatores pro perspicuitate et facilitate cui studebant, confusionem et obscuritatem, attulerunt, quae ex Generum multitudine in Ordinibus accumulatorum provenit.

Nulla itaque ex his reductionibus utilitatem Botanicae affert, imo perturbationem tyronibus, et detrimentum in scientiae progressu importat. In id igitur omnes potius industriae nervos intendamus, ut Ordines Linnaei naturales perficiamus, quemadmodum immortales Jussiei facere conati sunt, atque hanc viam insequentibus systematibus Classium omnibus praeferendam Botanicam perfectionis scopum attingens.

Mirandum profecto subit hoc postremo viginti annorum intervallo, quo insignes Botanici Linnaei methodi naturalis, et Systematatis artificialis ope scientiam adeo perfecerunt, alios Botanicos mancas, erroribus obnoxias, et um difficillimas classificationes obtrudere, libidine quadam innovandi, et vulgi plausum ob novita-

tem captandi illectos. Ast quanto uberiorem fructum Botanicae afferent, si Classicis reductionibus omissis, reformandis, perficiendisque Genericis characteribus, eorumque nominibus immutabiliter stabiliendis incumbere.

Quatuor diversa, aut imminuta nomina *Cienfuegosiae* D. Cavanilles indita sunt: siquidem Antonius Laur. Jussieus *Fugosiam* eam nominavit; Willdenow tom. 3, part. 1, pág. 723, *Cienfuegiam* appellat; Lamarck vero Gener. plant. illust. Tab. 177 *Cienfuegosam*: qui omnes primum et legitimum nomen corrupterunt; nemo autem eorum ad *Hibisci* Genus, a quo nullo pacto separari debet, reducere satagit.

Joannes Frid. Gmelin in altera Linnaei Systematis vegetabilium editione pág. 1037, *Cavanillae* nomine indigitat illud Genus, quod D. Cavanilles *Dombejam* appellavit; Schreberus eamdem *Dombejam Assoniae* ejusdem auctoris adscribit, amplexus interea *Dombejae* Lamarckii Genus Encyclop. 2, pág. 301, quod re vera Genus novum sub nomine *Araucariae* a D. A. L. de Jussieu impositum est et in chilensium montibus a Pavoni in loco natali observata; D. L'heritierus in Stirp. plant. fasc. 2, *Dombejae* nomen cuidam Didynamiarum angiospermiarum plantae impertitus est, quam D. Fougeroux *Turretiae volubilis* nomine claris de la Turrette a Dombejo, nobisque anno MDCCLXXVIII dicatam in Academiae Scientiarum Parisiensis inseruit anno MDCCLXXXIV, pag. 200, tab. 1. Gmelinus *Turretiae* Fougeroux Genus adoptat, simulque *Dombejae* L'Heritierii, diverso characterе differentiali eidem plantae adjecto. Nos autem quando Prodromus evulgabamus, *Dombejam* Turretiae nostrae descriptionem Lutetiam missive nescientes, et illius a Fougeroux in praeditis Commentarios insertionem, *Dombejae* nomen recepimus a L'Heritier impositum, atque ante tres annos evulgatum, quam Cavanilles *Dombejae* Genus ex variis *Pentapetes* speciebus, uti Ruizius in Disputationibus adversus ipsum evicit, postea constitueret.

Cum vero ex adeo singulari rerum perturbatione illud sequatur, nostrum itineris comitem Clar. Dombejum planta, quae nomen suum immortalitati commendet, destitutum remanere, *Dombejae* nomen praetioso arbori atribuimus, quam Cavanillesio consecraramus, praesertim *Cavanilleae* Thunberg Genere a Willdenow recepto, uti videre est ex sequenti annotatione, quam editioni *Spec. plantar.* Linnaei, pag. 854 subjici, *Pourretiam* appellans *Cavanillesiam* nos-

*tram*; in honorem inquit Clar. Pourret variis itineribus «per Hispaniam celebris, et qui multa nova detexit vegetabilia, nominavi *Pourretia* Ruizii et Pavonii est *Pittcairnia*, et in memoriam Clar. Cavanilles jam aliud Genus a Cel. Thumberg est nuncupatum». Ignari autem nos Prodrorum evulgando Thumbergii memoratum obsequium Dioeciae plantae Cavanillesio praestitum, in ejusdem Botanici memoriam *Cavanillesiae* Genus eidem dicavimus, arborem scilicet proceram, et speciosam e Malvacearum familia, in qua Classe D. Cavanill. prima suorum laborum specimina praebuit, plura et diversissima aliarum familiarum Genera in eam accumulans, quae Linnaeus, reliquique Botanici in aliis Classibus naturalibus et systematicis rite collocaverant.

Quoniam vero D. Lamarck polyandram plantam *Cavanilleam* nominat, et ipse Willdenow *Cavanilleae* Thumberg Genus nomen admittit, nostramque denique *Cavanillesiam*, *Pourretiam*, ejusdem Botanici memoriam retinendi cupidus, illud appellat; persuasus nostrum *Pourretiae* Genus ad *Pittcairnias* pertinere; cumque Willdenow denominatio non habeat locum, eo quod nostrum *Pourretiae* *Pittcairniae* specierum descriptionibus et iconibus in tertio hujus Florae Volumine demonstravimus, *Cavanillesiae* nomine duobus Generibus ab aliis jam ocupato, *Dombejae* nomen, ut supernus dictum est, substituimus ad Socii nostri memoriam posteritati commemorandam, siquidem e tribus Generibus ipsi Botanico hactenus dicatis nullum *Dombejae* nomen ullo modo ob rationes, quas antea exposuimus, retinere debet.

In hujus autem Voluminis descriptionibus, observationibus et iconibus quam maximam diligentiam adhibuimus, ne minus concinnae, et tam Hispaniae, quam exterarum gentium Botanicorum approbatione minus dignae prodeant, quam in tribus Tomis, qui praeceperunt contentae, uti testantur sequentia testimonia, quae *Commentarii litterarii Matritensis* Auctor inseruit in ejus *Opusculi periodici* num. 29, ex *Decad. Philosoph.* ex *Monitore* et *Hist. Natur. Annalibus* transcripta: «Hoc eximium Opus Peruviae scilicet Flora insignem in Botanicis locum habebit. Editio siquidem splendida est, et praesertim icones singularem plausum merentur; *Decad. Philosoph. et Politic.* num. 31, anno Gallicae Republicae nono, Trimest. 4.º die 29 Julii ann. 1801 et *Monit.* num. 313, anno 9 die 1.º Augusti ejusdem anni». «Hoc Opus tanquam exemplar ceteris ejusdem classis Operibus inserviet... Hispani nostrates. Ruizius et Pa-

vonius primi sunt qui suarum plantarum Collectiones systematicae disponentes cum iconibus, et descriptionibus absolutis eas evulgant, atque ita itinerum suorum fructuum hominum Genus particeps faciunt. Cavanill. Ann. hist. natur. num. 4, pag. 49».

Praeterea in novae Prodromi editionis Prospectu, quam anno MDCCCXCVII Romae inchoavit D. Casparus Xuarez cum socio D. Carolo Fea, Jurisconsulto, adjicit editor sequentia: «Matritensis quidem Florae Peruviana et Chilensis editio vel ob chartae, et characteris praestantiam, vel ob voluminis magnitudinem, vel ob Operis duplicem textum, latinum nempe, et hispanum, vel ob iconum perfectionem, vel ob hujusmodi cetera omnia procul dubio splendida est, atque ac magnificentissima».

Recuso jam Prodromo suborti sunt Romae bellici motus, qui Operis editionem prosequi Xuarezium impedierunt quousque sedatis illis labori labori denuo se adcinxit: ad dolendas illius laboriosi botanici Hispani interitus die 5 Januarii, anni 1804, Romanam editionem iterum interceptit, quam tamen spes est D. Francisci Iturri litteris memoratum D. Carolus Fea per se solum illam instauratum.



## ADDENDA

In Prodromi *Alzateae* caractere generico pag. 40, lin. 15, adde: *Sem. compressa... receptaculis oblongis dissepimento utrinque adnatis, horizontaliter affixa arcte superimposita.*

In Spec. Tomi 2. *Macrocnemi* caractere pag. 48, l. 8, adde: *Sem... compraessa... receptaculis utrinque adnatis subhorizontaliter per acutiorem angulum affixa, arcissime superimposita.* Ubi animadvertendum subit, D. Cavanilles in Annalibus Scient. Natur. tomo 7, pag. 55, haec scripsisse: «Inter Genera idoneis, mea sententia, caracteribus destituta recenseri meretur *Macrocnemum*, siquidem eadem vegetabilia tanquam *Mussaendae* species ab aliquibus auctoribus describuntur ab aliis coaevis scriptoribus inter *Macrocnema* collocata: hae diversae opiniones ex eo abs dubio profectae sunt, quod primitiva Species, quae Brownii characteres ad suum Genus constituendum praebuit, parum cognita est».

Obs. Diffiteri equidem non possumus Linnaeum inter Genera imperfectis caracteribus praedita *Macrocnemum* non absque fundamento enumerasse; sed praedictas auctorum opiniones ex eo origine ortas, quem D. Cavanilles innuit, demonstrari non potest; imo verosimile est inde profectas, quod praedicti Botanici non satis diligenter, plantarum suarum characteres cum *Macrocnemi Jamaicensis* caracteribus a Brownio, et Swartzio expositis contulerunt; namque quantumvis incompleti, nullo tamen modo cum *Mussaendae* caracteribus confundi queunt; praecipue si hujus primitivae speciei figura attente inspiciatur, quam etsi aliquantulum inexactam Swartzius edidit. Hujus *Stigma* bilobum est, et obtusum, et *Stamina* corollae inferiori parti, ut ex Swartzii icone patet adhaerentia; quae duo in nostris *Macrocnemi* speciebus quoque observantur, secus ac in Cavanill. *Macrocnemo pentandro*, seu *M. candidissimo* Vahl, quod *duobus Stigmatibus* subulatis, et revolutis constat, et *Staminibus* gaudet incisurarum corollae basi insertis, quo

utroque charactere prorsus immutabili, mirabiliter differunt, nam si variaret saltem insertio, tunc constans, et princeps nota characteristica ex quatuor, quas Linnaeus ad Generum characterem naturalem constituendum, et deinceps Botanici omnes staturerunt, penitus deesset.

Praeterea si vita functus Boldus, atque ipse Cavanilles, ut in citatis Annalibus refert, plantae fructum maturum videre non potuerunt: ¿quo pacto asserere Cavanillesii licuit illam *Macrocnemi* speciem esse, quando neque *Stigmate* neque *Staminum* insertionem convenit?

Nulla etiam certitudo apparet, num *Calyx* permanens sit, an deciduus. Brown illum inquit Germen coronare nulla mentione ejus rei interjecta, neque an Capsulam coronet adjicit; unde colligere licet eum in hujus maturitate decidere. Swartzius autem illum superum, turbinatum, minimum, quinquedentatum, et permanentem describit: nisi vero germen cum calyce in hac descriptione comprehendatur dici non potest hunc esse turbinatum; alias enim hujusmodi figura non gaudet, nam *Calyx* nihil aliud est, nisi margo brevis quinquedentatus, germen coronans, quod quidem figura gaudet turbinata, quemadmodum suo loco describit, et in icone representat Swartzius. Nunc autem permanens sit, necne, cum capsulam perfectam maturitatem acquirit, ex Swartzii icone inferri non licet, eo quod ramus ibidem ostensus capsulis careat; nam etsi tres seorsim exhibet in duarum nulla *Calyx* reperitur, et in reliqua denticuli minutissimi observantur.

In nostris *Macrocnemi* Speciebus Calyces sensim oblitterantur simul ac Capsulae ad maturitatem accedunt; atque hoc idem Capsula fig. (c.) indicat in *Jamaicensi* accidere. Capsulam turbinatam describit Swartzius, qui tamen in fig. (b. d.) oblongam exhibet; in explicatione fig. (c.) Capsula inquit, aut parum aucta: verum illa, quae magnitudinis duplo brevioris est, quam duae reliquiae, una, inquam, illa turbinata apparet, et quodammodo nostrarum *Macrocnemi* specierum similis: sed difficile captu est, eam auctam esse, ni transversim secta fuerit, quod Swartzius in explicatione silentio praeterit.

De Capsulae dehiscendi modo neutiquam securi possumus, nam in Swartzii icone exhibita tamquam per longitudinem folliculi instar dissecta apparet, quin duas valvas ostendat. Ex es vero, quod Brownius, et Swartzius *Semina* imbricatim disposita, nec imbricata,



describant; suspicari oportet non comunem et frequentem imbricationem, sed aliam diversissimam, veluti videre est cum *Semina* in unoquoque receptaculo horizontaliter in cuneorum formans infixa sunt, et atque superimposita.

Notae itaque omnes, quibus Browni character genericus constat, cum *Macrocnemi nostri* speciebus consentiunt, atque etiam habitus, corolla, staminum insertio, stigma et calyx in *M. jamaicensi* Swartzii icone representata magis cum illis conveniunt, quam cum Vahl, et Cavanillesii planta: quapropter supradictis notis innixi, nostrates Species ad *Macrocnemi* Genus redegimus, rationibus profecto efficacioribus, et solidioribus permoti, quam quas habuit Cavanilles ad suam plantam eidem Generi ingerendam, ob hoc unum, quod idem de hac ipsa specie D. Vahl faciendum existimare: sed idem Vahl in observatione hoc subjungit: «¿An Macrocnemi Generis cum Corolla non campanulata? In plurimis certé convenit; ideoque postius retuli. A *Mussaenda* differt fructu».

Habitus notaeque genericae plantae Vahl diversi generis a *Macr. jamaicensi* speciem praeferunt. Hodie num novo etiam Generi *Calylactea* opinio nostra nititur, quod D. Tafalla in Peruvia constituit ex duabus *Macrocnemi candidissimi*, et *coccinei* Vahl speciebus, et ex alia specie quam una cum duabus praecedentibus nuper ex montibus de Monzon et Huayaquil ad nos missit praedictus Tafalla Botanicus, simulque duarum Generis *Macrocnemi* Brown specierum icones et descriptiones.

Ob rationes itaque expositas, et quoniam characteres omnes generici quos *M. jamaicensi* Botanici antecessores tribuerunt incompleti, et manci inveniuntur, ideo quem nos *Macrocnemi* reformatum dedimus, praeferendum, retinendumque censemus, neque tanquam novi Generis illi affinis reputandum, quemadmodum inquit D. Cavanilles in praedito Annalium numero, in quibus doctrinam de *Macrocnemo* prolixè tractavit, quin quidquam profecerit, aut illustraverit.

OBSERVATIO. *Hoittzia*, et *Periphragmos*, seu *Cantua* Jussiaei Genera unum tantum constituere debent. «Genus *Cantua*, inquit Jussieus, ab *Hoittzia* Genere differt ob bractearum defectum in illius speciebus, quae in hujus speciebus adsunt: omnibus fructificationis notis exacte conveniunt». D. Cavanilles asserit, «*Cantuum*, seu *Periphragmon* ab *Hoittzia* Genere discerni ob calycis exterioris defectum, quo constant *Hoittziae* species».

Bracteae a Jussieo memoratae nihil aliud sunt, quam folia floralia sub calyces sita. D. Cavanill. nulla nititur ratione cum hujusmodi folia calycem exteriorem nominat, siquidem ea un ceteris plantae foliis penitus conformia sunt, solumque ab eis magnitudine, et situ differunt. Nullum praeterea adest fundamentum, quod nos cogat Genus naturalissimum in duo dispergere, cum fructificationis partibus consentiant; et satis mirari non possumus Clar. Jussieum conditam adeo dilacerationem admisisse.

*Obs.* D. Cavanilles in 2.<sup>o</sup> tomo Generum et Specierum in Praeiectionibus publicis anni 1802, demonstrarum haec inquit: «Cum me admonisset D. Mutis *Jaravam* tribus Stamina, non uno solo gaudere, uti Florae Peruviana auctores asseruerunt; speciem a D. Ludovico Nee allatam rursus examini subjeci, in cujus floribus tres Antheras revera inspexi. Ideo ergo, est differentialem hujus generis characterem in Classe III, et inter *Stipam*, et *Aristidam* collocavi».

Mirandum quidem videtur novum trium Antherarum inventum in ipsorum speciminum floribus, in quibus ipse Cavanillesius primo examine nullas praeter unam detexerat. Duas alias in cunctis floribus, quos primum ille observavit, fortasse decidisse, et in floribus quos postea introspexit, fortunato remansisse putandum erit. ¿An potius prior D. Cavanill. observatio in nostrae *Jaravae Ichu* speciminibus facta est; altera vera in alia specie triandra ejusdem generis instituta? Praeterea suspicari quis vetat inter Neei specimina aliqua aliarum graminearum diversi generis sub eodem nomine *Ichu* a provinciarum incolis cognitarum specimina collecta, commixtaque fuisse, ut quae in Peruviae Andibus simul proveniunt, collecta, inquam, a Nee, tanquam ejusdem speciei plantas ob similitudinem, quam magnitudine veriisque characteribus specificis simulant, et si species revera sint aliorum generum valde diversorum, ut nostrum *Purum Ichu*, seu *Pseudo Ichu*, quod cum *Vero Ichu*, seu frequentiori in provinciis, quas peragravimus, crescit, et novum Genus inter *Avenam*, *Lagurum*, *Arundinem* et *Stipam* &c. constituit?

*Jarava Ichu* nostra unam tantum valvulam corollinam, unumque stamen habet, ejusque semen arista tortili terminatrix, pilisque longis in radium extensis. *Purum Ichu* corollam bivalvem habet, villo longo, lateraliter, et per universum ambitum villo brevi instructam: tribus staminibus constat, ejusque semen arista tortili

gaudet, paulo infra medium valvulae majoris exterioris corollinae inserta.

¿Observarunt Nee, D. Mutis, et Cavanilles, num in eorum *Ichu*, an illi, vel diversi characteres existant? Nos profecto suspicamur ipsos satis accuratam diligentiam minime adhibuisse. Oportet itaque, ut Jarava nostra a prima Classe in qua illam rite collocavimus, ad tertiam ad quam Cavanillesius transtulit, removeatur, oportet inquam, fiat speciminum comparatio, et examen fructificationis anatomicum; quo omisso caecutive et temere progredi est in rebus scientiarum illustrationi adeo opportunis.

NOTA: Amygdalarum amararum semina *testa*, seu cortice osseo spoliata facilius germinant, quam eadem cooperta; sed illa statim, ac testa denudantur, terrae vite preparatae et idonea tempestate committere oportet, tuncque quarto aut quinto die germinatio apparet, modo semen sanum sit, et alia tunica, *membrana* dicta, vestitum; contra si semen testa exutum per aliquos dies aeri exponitur, licet *membrana* involutum, facile exsiccat, ramescit, et germinandi ob has causas incapax, intra paucos dies omnino putrescit. Hoc pacto Hortulani, et Agricultores aliorum seminum osseorum a Linnaeo aliisque Botanicis *nucum* appellatorum germinationem properare fortasse poserunt, quamvis eas verius, quam debuissent serere cogantur.



## CLASSIS VIII

### OCTANDRIA MONOGYNIA

#### ARTHROSTEMA

##### CHARACTER GENERICUS

**Calyx** *Perianthium* suburceolatum, inferum, persistens. *Tubus* inflatus. *Limbus* brevis, denticulis parvis, acutis, remotiusculis.

**Cor.** *Petala* quatuor, obovata, fauci tubi insidentia, patula.

**Stam.** *Filamenta* octo, linearia, fauci tubi inserta, ultra medium articulata.

*Antherae* lineares, obtusae, erectae, biloculares, longitudine petalorum.

**Pist.** *Germen* oblongum, obtusum, nudum, superum. *Stylus* filiformis longitudine staminum. *Stigma* obtusum, obsolete quadristriatum.

**Per.** *Capsula* oblonga intra calycis tubum, quadrilocularis, longitudinaliter quadrivalvis; valvulis membranaceis, septiferis.

**Sem.** numerosa, minima, cochleato-galeata, sessilia, striata. *Receptaculum* sublanceolatum, tetragonum, angulis seminiferum.

*Obs:* Differt a *Rhexiae* genere, praesertim *Calyce* turbinato, denticulato. Filamentis ultra medium squama lineari, bifida; *laciniis* bicornibus. *Germine* apice nudo. *Receptaculo* solitario, tetragono, angulis seminifero.

Genus *Arthrostema* a staminibus ultramedium articulatis, nominavimus.

## CHARACTER DIFFERENTIALIS

*Calyx* turbinatus, denticulatus, inferus. *Petala* fauci calycis insidentia. *Filamenta* octo, ultra medium articulata. *Antherae* lineares. *Germen* nudum. *Capsula* intra calycem, quadrilocularis, quadrivalvis. *Semina* cochleato-galeata. *Receptaculum* simplex, angulis seminiferum.

**Arthrostema ciliatum** Icon. 326.

1 A. foliis subcordatis acutis 5-7-nervibus ciliatis, pedunculis subquadrifloris, capsulis turbinatis.

**Planta** herbacea, succosa, tenera, tripedalis, acidi saporis, annua.

**Caulis** erecto-patulus, acute tetragonus, ramosus, geniculatus, nitidus.

**Rami** remoti, altero opposito, plerumque abortivo, diffusi, subprocumbentesque, et tunc radicanes, geniculati, purpureis, apice glandulosis obsitae, ad genicula villosiores.

**Folia** opposita, petiolata, subcordata, acuta, serrulata; 5-7 nervia, serraturis cilio terminatis, subpollicaria, latitudine vix octolineari, utrinque glabra, nitida, marginibus purpureis, nonnulla basi non excavata.

**Petioli** ut plurimum semipollicares, supra, canalicullati.

**Pedunculi** axillares terminalesque, 2-3-4 flori, saepe furcato-dichotomi, tetragoni.

**Flores** alterni, remotiusculi, pedicellati, bracteis subulatis, parvis, deciduis sustentati.

**Calyx.** turbinatus, villosus, in capsulae maturitate glaber, tubo virescente. Limbi denticulis divergentibus, rubris.

**Petala** rubro-purpurea.

**Filamenta** octo, ultra medium squama lineari bifida; laciniis bicornibus; corniculis subulatis, divergentibus.

**Capsula** oblonga, intra tubum calycis, subhelvoli coloris.

**Semina** fulvescentia.

*Habitat* in Cuchero nemoribus, locis umbrosis.

*Floret.* Julio et Augusto.

*Explic.* 1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Petalum. 4. Calyx scissus cum staminibus. 5. Stamen. 6. Pistillum. 7. Capsula intracalycem. 8. Eadem libera. 9. Eadem dehiscens. 100. Receptaculum. 11. Semina. 12. Semen auctum. (\*)

### **Arthrostema caulialatum** Ic. 327.

2 A. foliis ovatis, acuminatis, quinquenerviis, hirsutis, pedunculis racemosis, dichotomis, capsulis globosis.

**Planta** herbacea, succosa, bi-tripedalis annua, tota hirsuta.

**Caulis** erectus, quadrialatus, dichotomus, geniculatus, purpurascens.

**Rami** consimiles.

**Folia** opposita, petiolata, ovata, quinquenervia, acuminata, serrulata, bi-tripollicaria.

**Petioli** pollicares, plani, nervosi, versus basim angustati, dense hirsuti.

**Pedunculi** terminales, et ex dichotomiis, solitarii, subtripollicares, racemosi.

**Pedicelli** communes decussati, dichotomi, bracteolis ovatis, acutis stipati: partiales breves, oppositi, totidem bracteolis consimilibus suffulti.

**Calycis** tubus globosus. *Limbus* quadridentatus; denticuli subulatis patentibus.

---

(\*) Téngase en cuenta, respecto a ésta y las demás figuras que en el texto se dicen «aumentadas», con referencia a las láminas originales, que las reproducciones que de las mismas damos aquí están con ellas en la razón de  $\frac{1}{2}$  en cuanto a sus dimensiones (exactamente en la de 17,5/31). E. A. L.

**Petala** quatuor alba.

**Filamenta** octo, ultra medium articulata, non squamata.

**Capsula** globosa, tubo calycis obvoluta.

**Semina** fulva.

*Habitat* in Peruviae Andium nemoribus ad Pueblo nuevo, Provinciae Huamalies vicum.

*Floret.* Julio et Augusto.

*Obs.* Hujus speciei specimina sicca a Tafalla accepimus, ex quibus Iconem, et descriptionem elaboravimus.

*Expl.* Icon. 1. Flos integer. 2. Idem auctus. 3. Calyx. 4. Petala. 5. Calyx cum staminibus duobus introflexis, reliquis erectis, auctus. 6. Stamen. 7. Idem auctum. 8. Pistillum cum calyce scisso. 9. Pistillum auctum. 10. Capsulla intra calycem. 11. Eadem a calyce libera. 12. Semina. 13. Semen auctum.

**NBEA** Gen. Pl. Fl. Per. et Ch. p. 52

**Neea verticillata.** Icon. 328.

1. N. foliis quaternis, lanceolatis.

**Frutex** triorgyalis, glaberrinus.

**Caulis** erectus, teres, parum ramosus, fusco-cinereus.

**Rami** quaterni, aliquando terni, teretes, obscure cinerei, patentiusculi, inferne nudi, superne foliosi.

**Folia** subverticillata, quaterna, aliquando terna, rarissima ex inferioribus spacia lanceolata, acuta integerrima, venosa, supra nitida; venis inflexis, plana, subpedalia; latitudine biparitaria, membranaceo-coriacea.

**Petiolli** ut plurimum semipollicares, supra leviter canaliculati.

**Racemi** ex axillis foliorum terminalium, solitarii, compositi; in flore foliis quadruplo breviores, nutantes, viridi-albicantes; in fructu foliis dimidio breviores, dependentes, rubicundi, incrassati.

**Pedunculi** soarsi, subdichotomi, flexuosi, inaequaliter divergentes.



**Flores** sessilibus, singuli squamis tribus, parvi, semilanceolatis stipati.

**Corolla** albo-lutea, 4-5-dentata, trilinearis, oblonga, urceolata; laciniis ovatis, acutis patulis.

**Drupa** olivae fructus feré magnitudine purpureo-atra.

*Habitat* in Andium nemoribus, in locis imis callidis ad Pozuzo, et Chacahuassi.

*Vires et usus*: Indi cum fructuum succo pedes, manus faciemque colore purpureo frequenter tingunt; quapropter inter tinctorias plantas hanc speciem recensendam existimamus.

*Expl.* Ic. 1. Squamae tres in pedunculo. 2. Corolla. 3. Eadem scissa. 4. Stamina in receptaculo. 5. Pistillum. 6. Drupa. 7. Nux transversim secta.

### **Neca oppositifolia** Ic. 329.

2. N. foliis oblongo-ovalibus acuminatis.

**Frutex** quadriorgyalis, glaberrimus.

**Caulis** erectus, teres, valde ramosus, fusci coloris, maculis cinereis notatus.

**Rami** plerumque oppositi, saepe sparsi, aliquando verticillati dichotomique, cauli consimiles; *teneri* fusco-rubentes.

**Folia** opposita, breviter petiolata, oblonga ovalisque acuminata, integerrima, plana, patentia, membranacea, venosa, venis majoribus semihorizontalibus, ut plurimum sesquipalmaria.

**Petioli** bilineares, supra vix canaliculati.

**Pedunculi** terminales solitarii, bifidi, subduodecimflori, in flore foliis breviores, nutantes; infructu longiores, rubicundo-purpurei.

**Flores** subcorymbosi, sessiles ternati, ; singuli squamis duabus, ovatis stipati.

**Corolla** bilinearum, quadridentata.

**Drupa** purpureo-atra.

*Habitat* in Pillao ad Chacahuassi nemora.

*Floret* Octobri et November.

*Explic.* 1c. 1. Squamae duae in pedunculo. 2. Corolla. 3. Stamina in receptaculo. 4. Pistillum.

## TRIGYNIA

**DODONAEA** Linn. Gen. pl. pág. 257.

### CHARACTER GENERICUS REFORMATUS

**Cal.** *Perianthium* tetraphyllum; *foliolis* ovatis, acutis, concavis, deciduis.

**Cor.** nulla.

**Stam.** *Filamenta* octo, brevissima, subulata, receptaculo inserta. *Antherae* erectae, oblongae, basi excavatae, acuminatae, tetragonae, arcuatae, conniventes, quadrisulcae, calyce longiores, biloculares, lateribus longitudinaliter dehiscentes.

**Pist.** *Germen* superum, brevissime pedicellatum, triquetrum, emarginato-trilobum. *Stylli* tres, subulati, inaequales, ultra medium viscositate coaliti, superne liberi, antheris duplo longiores, erecti. *Stigmata* tria, simplicia.

**Per.** *Capsula* inflata, triquetra, trilobata, trilocularis, trivalvis; *loculis* dispermis: *valvulis* carinatis, carina alata, margine applicitis. *Receptaculo* centrali trilobato, membranaceo stylifero, in angulis valvifero, in faciebus seminifero.

**Sem.** bina, subrotunda.

*Obs. 1.\** Calyces aliquando pentaphylli, staminibus 9-10, styli 4, capsulaeque 4-loculari; rarius triphylli cum staminibus 6-7, stylis 2, et capsulis bilocularibus.

*Obs. 2.\** Stamina receptaculo inserta, non ad germinis basim utpote Cavanilles descripsit.

*Obs. 3.\** In loco natali et in Horto Reg. Bot. Matritensi Stylos tres, quamvis ultra medium viscositate coaliti, semper observavimus; minime pro stylo simplici asumendi sunt, uti Jacquinus, Jussieus, Cavanilles et alii Botanici fecerunt.

*Obs. 4.\** Capsulae structura trigynium Ordinem denotat, atque Styli tres illam comprobant. Enimvero cum Styli ob viscositatis copiam ultra medium sunt coaliti, ne pro stylo simplici, ut alii fecerunt, illos sumas, necesse est, quod ipsas vi aliqua disjungas, quod quidem facilius asequi poteris, si in aqua tepida paululum immergas.

*Obs. 5.\** Semem alterum in singulo loculo plerumque abortit.

### **Dodonaea viscosa**

*D.* foliis lanceolatis oblongisque, floribus racemoso-paniculatis.

*Dodonaea (viscosa)* Linn. Sp. pl. tom. 2, pag. 162. Jacquin Amer pict. pag. 56. Lamarck Dict. vol. 2, pag. 292.

*Dodonaea (viscosa)* caule fruticoso: foliis oblongis, lanceolatis, alternis: floribus paniculatis Cavanill. Vol. 4, pag. 14, tab. 327.

*Triopteris erecta fruticosa* foliis oblongis acuminatis ramis gracilibus Brown, Jam. 191, Tab. 18, fig. 1, icon bona.

*Aceri*, s. *Paliuro* affinis angusto oblongo Ligustri folio, flore tetrapetalo herbaceo Sloan Hist. 2, pag. 27, Tab. 162, fig. 3 icon bona.

*Caryophyllaster littoreus* Rumph. Amb. tom. 4, pag. 110, Tab. 50, icon bona.

**Frutex** biulnaris, glaber, foetidus, omnino praeter caulem, viscoso-resinosus.

**Caulis** erectus, teres, rimosus, ramosissimus, fusci coloris.

**Rami** sparsi divergentes, erecto-patentiuseuli, teretes: *tencri* angulosi, dilute rubentes, nitidi, foliosi.

**Folia** sparsa, lanceolata, oblongaque, integerrima, subsessilia, versus basim sensim attenuata, venosa, exsucca, nitida, 1-3 pollicaria, latitudine semipollicaria; venis subhorizontalibus: nonnulla oblongo-obovata, acuminata.

**Pedunculi** terminales racemoso-paniculati, angulosi, foliosi, pollicares.

**Pedicelli** tenues, superne incrassati, uniflori.

**Calyx** extus purpurascens.

**Antherae** luteae.

**Capsula** pallescens, nitida.

**Semina** atra.

*Habitat* copiose in Peruviae collibus imis, subaridis, ventosis, ad Tarmae et Huanuci Provincias.

**Floret** Septembri et Octobri. In Hort. Reg. Matr. ubi è seminibus a nobis ex Peruvia missis colitur, Novembri et Decembri floret.

**Veruaculé** Chamissa et chamiça.

*Vires et usus.* Folia contusa ad rupturas cousolidandas perutilia. Per decoctionem Resina quaedam ad varios usus utilissima extrahi potest. Lignum ad focum in Tarma quotidie utitur.

*Obs.* Iconem hujus speciei dare praetermissimus, quoniam in aliorum scriptorum operibus iteratam consulere licet: descriptionem autem correctionem elaboravimus, quam a Brown, Sloan, Rumphio, Jacquin, Lamarck et Cavanilles editae in cujus iconem insignes naevos offendimus C. g. folia inter se remotiora, et versus basim latiora quam oporteret: ramum absque ulla capsula praeter germina adulta: figura litt. D. quae stamen auctum ostendit, explicatio desideratur: in littera e *germen* legitur loco *pistilli*; litterae f qua pistillum auctum representatur explicatio omititur: litt. i loco valvulae *ala cum* tertio loculamento scribit: in ea semina duo inopportune addit quae ibi exhiberi non debuissent, sed in receptaculo, cujus imaginem praetermisit, secus ac Gaertner et Lamarck: Capsulam hand proprie in fig. litt. g. demonstrat: Stylum supra *tripartitum* describit, at in icone nullus tripartitus apparet: in differentia specifica floribus paniculatis inquit: at in descriptione flores recemosos paniculatos exponit. Alia notatu digna adjici posent quinque tanquam in insertione et diversimode articulata: sed uti minoris momenti silentio praetermittimus.

## DIGYNIA

WEINMANNIA Linn. Gen. pl. pag. 263

## CHARACTER GENERICUS REFORMATUS

**Cal.** *Perianthium* quadripartitum: laciniis ovatis, acutis, concavis, inflexo-patulis; inferum subpersistens.

**Cor.** *Petala* quatuor, oblonga, subconcava, aequalia, calyce majora, caduca.

**Nectarium.** *Discus* subcyathiforme, octoglandulosus, *germen* ambiens.

**Stam.** *Filamenta* octo, subulata, erecta, corolla longiora, disco, glandulis alternantia, inserta. *Antherae* incumbentes, ovatae, sulcatae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes.

**Pistill.** *Germen* ovatum, bisulcum, superum. *Styli* duo, subulati, divergentes, longitudine staminum. *Stigmata* obtusa.

**Per.** *Capsula* ovata, bisulca, birostrata, bilocularis, apice bivalvis: *valvulis* introflexis dissepimentum constituentibus, callosis.

**Semina** pauca oblongiuscula. *Receptacula* oblonga, marginibus valvularum interne utrinque adnata.

*Obs. 1.<sup>a</sup>* Flores nonnullos decandros inter octandros offendimus.

*Obs. 2.<sup>a</sup>* Semina in omnibus nostris Weinmanniae speciebus villosa, praeter corymbosam, in qua sunt glabra et utrinque acuminata.

## Habitus

*Arbores* et *Frutices* sempervirentes. *Trunci* *Caulesque* erecti, teretes. *Rami* brachiati: *teneri* tetragono-compressi. *Folia* opposita, simplicia, aut ternata, quinata, aut impari-pinnata, petiolo in pinnatis alato, articulado. *Foliola* opposita, impari majori. *Stipulae* interfoliaceae, utrinque solitariae, caducae. *Flores* co-

rymboso-paniculati et axillares in *W. corymbosa*; in reliquis speciebus racemosi dense subspicati. *Racemi* plerumque gemine, gemma interposita, terminales; in fructu vero inferiores. *Pedicelli* pasim fasciculatis, veluti in verticillos divergentes, uniflori. *Bractea* parva sub singulis fasciculis.

*Observ.* Cunionae Genus ad Weinmanniae Genus revocandum, cum nulla alia differentia inter ea existat nisi numerus.

**Weinmannia corymbosa.** Icon. 330, fig. b.

1. *W.* foliis simplicibus oblongo lanceolatis, argute serratis, floribus corymboso-paniculatis.

*Weinmannia* (paniculata) foliis simplicibus, lanceolatis, serratis; floribus paniculatis. Cavanill. Icon. vol. 6, pag. 44, Tab. 565.

**Cauli** erectus, inferne ramosus, teres, fusci coloris.

**Rami** erecti, teretes, fusci: teneri hirsuti.

**Folia** opposita, petiolata, simplicia, oblongolanceolata, argute serrata; serraturis apice parum incurvis recurvisque, venis patentibus, supra glabra, nitidiora, subtus leviter pubescentia, nitida, sesquipalmaria, patentia, latitudine sesquipollicari.

**Petioli** trilineares, leviter contorti, supra canaliculati, pubescentes.

**Stipulae** interfoliaceae, binae, oblongo-lanceolatae, longitudine petiolorum, caducae, pubescentes.

**Pedunculi** axillares, solitarii, foliis longiores, corymboso-paniculati, pubescentes, bracteis totidem lanceolato-subulatis deciduis suffulti.

**Pedicelli** communes brachiati, remoti; *partiales* dense corymbosi, subdivisi, multiflori, totidem bracteis lanceolato-subulatis, pubescentibus, deciduis, parvis stipati.

**Calyx** dilute purpureus, extus pubescens, basi persiste, laciniis ante capsulae maturitatem deciduis.

**Petala** oblongo-lanceolata, subungniculata, calyce duplo longiora, patentia, decidua, albido-rubentia.

**Nectarii** *Discus* glandulis octo, ovalibus, rubicundis, staminibus alternantibus.

**Stamina** petalis longiora. Antherae luteae.

**Germen** ovato-conicum hirsutum.

**Capsula** oblongo-ovata.

**Semina** glabra, fulvescentia, oblonga, utrinque acuminata.

*Habitat* in silvis Conceptionis Chile ad Palomares, Hualpen, Talcahuano, Mochita, Chihuayante locis humidis.

*Vernacule tiaca non triaca* veluti D. Cavanilles in herbario D. Néé legisse refert, et in suo Opere scripsit.

*Observatio*: Nullos flores pentapetalos trigynos offendimus, de quibus D. Cavanilles in sua descriptione memorat.

*Explic.* Ic. 1. Flos integer erectus. 2. Idem expansus. 3. Petalum. 4. Nectarium cum staminibus erectis. 5. Idem auctum expansum. 6. Stamen. 7. Pistillum. 8. Capsula. 9. Eadem dehiscens. 10. Valvula parum aperta. 11. Eadem explicata. 12. Semina.

**Weinmannia ovalis.** Ic. 333, fig. a.

2. *W.* foliis simplicibus ovalibus obovatisque crenato-serratis, racemis geminis, terminalibus.

**Arbor** procera, sempervirens.

**Truncus** erectus, crassus; coma frondsissima, subglobosa.

**Rami** erecti, brachiati, teretes, granulosi: *teneri* purpurei articulationibus incrassati, compresso, tetragoni.

**Folia** opposita, simplicia, breviter petiolata, patentia, ovalia, obovataque, crenato-serrata, glabra, utrinque nitida, venosa, coriacea, bipollicaria ut plurimum, latitudine pollicari, subtus et per venas purpurascens.

**Petioli** brevissimi, rubri.

**Stipulae** interfoliaceae, solitariae, cordato-ovatae, sessiles, membranaceae, albae, caducae.

**Racemi** terminales, gemini, simplices, erecti, sesquipalmares, purpurei.

**Flores** subverticillati 2-ad 7 ex singulo puncto, pedicellis inaequalibus, bracteola unica, minima, subulata sub singulo puncto.

**Calyx** purpurascens, persistens.

**Petala** albida calyce duplo longiora, obovata; concava, aequalia, decidua, subunguiculata.

*Nectarii Discus* rubicundus, glandulis octo.

**Filamenta** petala longiora. *Antherae* luteae, ovato-subrotundae

**Capsula** ovata, rubicunda.

**Semina** linearia, villosa, fulva.

*Habitat* copiose in nemoribus Pillao, Pano et Acomayo.

*Floret* Julio, Augusto et Septembri.

*Vernacule* Machi.

*Vires et usus*: Incolae extrunco optimas tabulas et trabes eliciunt quas ad aedificia construenda et ad varios usus applicant.

*Observatio*. Variat racemis 2-4-partitis, involucre 2-4-phylo.

*Explic.* Icon. 1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Petalum. 4. Nectarium. 5. Stamen antice y postice visum. 6. Pistillum. 7. Idem auctum. 8. Capsula cum calyce, dehiscens. 9. Eadem aucta. 10. Semina. 11. Semen auctum. 12. Stipula.

**Weinmannia crassifolia.** Icon. 331, fig. a.

3. *W.* foliis simplicibus ovato-cordatis, coriaceis, racemis terminalibus geminis, axillaribus solitariis.

**Frutex** triorgyalis et ultra, sempervirens.

**Caulis** erectus, teres, ramosus, obscure fuscus.

**Rami** brachiati, consimiles: *teneri* foliosi compressi.

**Folia** opposita, simplicia, breviter petiolata, ovato-cordata, obtusa, crenato-serrata, glabra, venosa subtus reticulata, supra nitidis-



sima, coriacea, plana, ut plurimum palmaria, latitudine sesquipollicari; nonnulla ovalia, basi excavata.

**Stipulae** interfoliaceae, cordato-subrotundae reflexae, latiusculae, nitidae, persistentes, glabrae.

**Racemi** terminales, gemini, axillares, solitarii, foliis duplo longiores, simplices pubescentes, multiflori, erecti.

**Pedunculi** communes angulati: *partiales* filiformes, leviter angulati, breves, subverticillati, ex singulo puncto 3-8 uniflori, bractea solitario ovata, recurva, brevi, stipati.

**Calyx** parvus, pubescens.

**Capsula** ovata, rubicunda.

**Semina** oblonga, villosa, fulvescentia.

*Habitat* in Andium nemoribus, ad Pillao Patasaria tractus. Septembri et Octobri fructiferam offendimus.

*Explic.* Icon. 1. Calyx. 2. Capsula cum calyce. 3. Eadem aperta. 4. Valvula clausa. 5. Eadem aperta. 6. Semina.

**Weinmannia heterophylla.** Ic. 331, fig. b.

4. *W.* foliis simplicibus ternatisque, multiformibus, crenato-incisis, racemis terminalibus, geminis.

**Arbor** quinqueorgyalis, sempervirens.

**Truncus** erectus, coma frondosa subglobosa.

**Rami** teretes, brachiati, atri: *teneri* angulatis, compressi, obscure rubri, glabri.

**Folia** opposita, simplicia, ternataque, ovata, subcordata, ovalia subrotundaque, crenato-incisa, glabra, utrinque nitida, venosissima; crenaturis acumine brevi, nervo venisque rubicundis, villosis, ut plurimum sesquipollicaria, latitudine pollicari: *folioli* ternatorum foliorum lateralia, intermedio quadruplo minor, plerumque subrotunda.

**Petiolii** communes partialesque brevissimi.

**Stipulae** interfoliaceae sessiles, cordato-ovatae, obtusae, integerrimae, reflexae, deciduae.

**Racemi** terminales gemini, subcylindrici, palmares, erecti, multiflori.

**Pedunculi** rubicundi, angulati, villosi.

**Pedicelli** subverticillati, tres, sex, ex eodem puncto, inaequales, uniflori, bractea ovata, acuta, subsingulis punctis.

**Calyx** dilute ruber.

**Patala** calyce duplo longiora, obovata, alba.

**Filamenta** corolla duplo longiora. *Antherae* subrotundae, basi excavatae, luteae. Nectarii *Discus* rubicuncus, octoglandulosus.

**Germen** ovatum. Styli divergentes longitudine staminum.

**Semina** pauca, oblonga, villosa.

*Habitat* in Andium nemoribus ad Huasahuasi arcem, in Huanuci praeruptis juxta aquas, et in Caxatambo Provincia.

*Floret* in Tarma et Huanuco Novembri et Decembri: in Caxatambo Julio et Augusto.

*Explic.* Ic. 1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Petalum. 4. Stamen. 5. Pistillum cum nectario. Omnia aucta.

**Weinmannia ovata.** Ic. 333, fig. b.

5. *W.* foliis simplicibus ternatisque, ovatii subcordatisque obtuse serratis, racemis terminalibus, geminis, cylindricis.

**Arbor** quadriorgyalis, sempervirens.

**Truncus** erectus, coma frondosissima.

**Rami** brachiati, teretes, atri: *teneri* confertissimi, foliosi, pubescentes, compressi.

**Folia** opposita, simplicia, rarius ternata, pauciora biloba, aut triloba, ovata subcordataque, obtuse serrata, venosissima, supra

nitida, pubescentia, subtus dense pubescentia; foliola ternatorum foliorum lateralía, intermedio quadruplo minora.

**Petioli** breves.

**Stipulae** sessiles, interfoliaceae, oppositae, cordato-ovatae, obtusae, membranaceae, reflexae, caducae.

**Racemi** terminales, gemini, foliis 3-plo longiores, erecti, cylindrici, multiflori.

**Flores** subverticillati, pedicellati.

**Pedicelli** 2-5 ex singulo puncto, unica bractea ovata minima, caduca, stipati.

**Calyx** purpurascens.

**Petala** alba.

**Nectarii** *Discus* purpureus.

**Filamenta** corolla duplo longiora. *Antherae* subrotundae, lutæae.

**Capsula** ovata, rubra.

**Semina** oblongo-linearía, villosa, rubescentia.

*Habitat* in Andium nemoribus frigidis, elevatis, circa Pillao vicum.

*Floret* Augusto et Septembri.

*Vernacule* Machi.

*Explic.* Ic. 1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Petalum. 4. Nectarium. 5. Stamen antice et postice visum. 6. Pistillum. 7. Capsula cum calyce. 8. Eadem dehiscens. 9. Semina. 10. Stipula.

**Weinmannia pentaphylla.** Ic. 330, fig. a.

6 W. foliis pinnato-quinatis ternatisque; foliolis sessilibus, lanceolatis, serratis, racemis terminalibus ternis, quinis.

**Frutex** triorgyalis, sempervirens.

**Caulis** erectus, ramosus.

**Rami** teretes; fuscí: *teneri* ad articulationes incrassati, compressi, striati, rubescentes, foliosi, glabri

**Folia** opposita, pinnato-quinata, aliquando ternata; foliolis sessilibus, lanceolatis, serratis, venosissimis, utrinque glabris, supra nitidis, impari majore, palmari, latitudine pollicari.

**Petioli** articulati, alati, rubicundi.

**Stipulae** cordatae sessiles, membranaceae, obtusae, glabrae, erectae, caducae.

**Pedunculi** terminales, solitarii, ternique breves, 1-2 racemosi.

**Racemi** sesquipalmares, erecti, subcylindrici, involucreo diphylo; foliolis oblongis, multiflori, pubescentes.

**Pedicelli** 3-6 ex eadem puncto inaequales, graciles, uniflori, bractea unica minima, ovata ad basim singuli puncti.

**Calyx** in fructu rubicundus.

**Filamenta** styli longitudine. *Antherae* subrotundae, luteae.

**Nectarium** *Discus* ruber.

**Capsula** ovato-conica, parva, fulvescentia.

**Semina** oblongo-linearia, pilosa fulva.

*Habitat* in Andium nemoribus ad Cuchero.

*Floret* Augusto et Septembri.

*Explic.* Ic. 1. Calyx cum staminibus et Pistillo. 2. Capsula cum calyce dehiscens. 3. Semina.

### **Weinmannia cinerea** Ic. 332, fig. b.

7. *W.* foliis pinnatis, foliolis ovalibus, serratos, petiolo articulado, alato, racemis geminis, terminalibus.

**Frutex** 4-5 orgyalis, sempervirens.

**Caulis** teres, ramosissimus, cinereus.

**Rami** consimiles brachiati, saepe granulosi, nitiduli; *teneri* foliosi, compressi, rubescentes, striati, ad articulationes crassiores, glabri; *tenerissimi* pubescentes.

**Folia** opposita, impari-pinnata; foliola 2-4 juga, ovalia, sessilia, serrata, utrinque nitida, glabra, venosa, nervo leviter hirsuto, *impari* obovato, aut elliptico, subrotundo, aut oblongo.

**Petioli** articulati, basi canaliculati; articulationibus dense villosis.

**Stipulae** interfoliaceae, ovaes, villosae, caducae.

**Racemi** terminales, gemini, subcylindrici, foliis duplo longiores; erecti, multiflori.

**Pedunculi** angulati, hirsuti.

**Pedicelli** subverticillati 2-6 ex eodem puncto, uniflori, graciles. bractea unica ad basim singulli puncti, semicirculari, caduca.

**Calyx** rubicundus, glaber.

**Petala** albida, staminibus duplo breviora, oblongo-obovata.

**Antherae** subrotundae luteae.

**Capsula** ovata, parva, fulvescens.

**Semina** pauca, oblongo-reniformia, villosa.

*Habitat* in Andium nemoribus ad Pillao vicum locis altis, frigidis.

*Floret* Augusto et Septembri.

*Explic.* Ic. 1. Flos integer antice visus. 2. Idem postice aspectus. 3. Calyx. 4. Petalum. 5. Nectarium. 6. Stamen auctum postice conspectum. 7. Idem antice visum anthera aperta. 8. Pistillum cum calyce. 9. Capsula dehiscens calyci insidens. 10. Semina.

**Weinmannia subsessiliflora.** Ic 334, fig. b.

8 W. foliis pinnatis; foliolis oblongo-obovatis, serrato-dentatis, petiolo articulato, alato, racemis terminalibus axillaribusque.

**Arbor** procera, sempervirens.

**Truncus** erectus, coma frondosissima, subcorymbosa.

**Rami** erecto-patentes, teretes, atri; *teneri* foliosi compressi; *tenerissimi* pubescentes.

**Folia** opposita, impari-pinnata; foliola 3-8-juga, nonnulla ternata, oblongo-obovata, aliquando subrotunda, ovalisque; impari majori, serrato-dentata, glabra, nervo subtus villosa, sessilia.

**Petioles** hirsuti, articulationibus obovatis.

**Stipulae** ovato-subrotundae, integerrimae, caducae, reflexae.

**Racemi** terminales, gemini, axillares solitarii, subcylindrici, erecti, multiflori, pubescentes, foliis longiores.

**Flores** parvi subverticillati; verticillis proximatis.

**Pedicelli** 3-9 aut plures ex eodem puncto, brevissimi, inaequales, bractea albo, minima, subrotunda, sub singulo puncto.

**Calyx** lutescens, hirsutus.

**Petala** lanceolata, concava, alba, calyce duplo longiora, staminibus 2-plo breviora.

**Nectarium** *Discus* minimus, ruber.

**Antherae** subrotundae, didymae, luteae.

**Germen** ovatum, hirsutum.

**Capsula** ovata, parva, fulvescens, disperma.

**Semina** solitaria, oblonga, villosa, fulva.

*Habitat* in Andium montibus nemorosis et silvaticis Acomayo, Pano, Chaclla, Pillao et Muña et in Caxatambo Provincia ad Chauchin.

*Floret* a Julio ad Septembrem.

*Vernacule Machi*; in Cheuchin Arbol del Perejil, et *Pickir*.

*Usus*. Lignum solidum et compactum, quamobrem Incolae optimas trabes et tabulas ad aedificios construenda et ad alia opera tignaria ex truncis eliciunt.

*Obs*. Affinis Weinmanniae pinnatae.

*Explic.* Ic. 1. Flos integer. 2. Nectarium. 3. Stamen antice visum. 4. Idem postice conspectum. 5. Idem cum anthera aperta. 6. Capsula cum calyce. 7. Eadem dehiscens. 8. Semen. Omnia aucta.

**Weinmannia dentata.** Ic. 334, fig. c.

9. *W. foliis pinnatis, foliolis obovatis, dentatis, petiolo alato, articulis quadrangulis, racemis terminalibus.*

*Weinmannia* (trichosperma) foliis impari-pinnatis, petiolo communi alato, articulis quadrangularibus racemis axillaribus. Cavan. Ic. vol. 6, pag. 45, tab. 567.

**Arbor** tri-quadriorgyalis, sempervirens.

**Truncus** teres, fusci coloris, coma frondosa.

**Rami** brachiati, plerumque altero ramulo abortivo, teretes saepe granulosi; *teneri* axillares, atri coloris, articulationibus incrassatis, apicem villosi.

**Folia** opposita, impari-pinnata, foliola frequenter 9-19, obovata, nonnulla oblonga, dentata, sessilia, basi inaequali parum obliqua, utrinque glabra, supra nitida, obscure viridia, subtus ferruginea, venosa; venis rubentibus, ut plurimum semipollicaria, latitudine trilinearis.

**Petioli** articulati, alati; articulis quadrangulo-cuneiformibus, rubescentes: articulationibus villosis.

**Stipulae** interfoliaceae, solitariae, subrotundae, integerrimae, erectae, caducae.

**Racemi** 2-4, simplices, villosi; in flore terminales, erecti, gemini, gemina interposita, pollicares; in fructu divergentes, subbipollicares, infra gemmam crescentem et explicatam oppositis.

**Flores** numerosi, parvi, subverticillati, pedicellati, 4-6 ex eodem puncto bractea solitaria, ovata, concava sustentato.

**Pedicelli** teretes, inaequales, tenues.

**Calyx** viridi-rubescens, persistens; laciniis oblongis.

**Petala** albido-rubescencia, obovata, concava, patula.

**Antherae** luteae.

**Capsula** ovata, obscure ferruginea.

**Semina** oblonga-reniformia, villis obsita.

*Habitat* in Conceptionis Chilensis Provinciae in locis humidiusculis et ripis.

*Floret* Decembri et Januario.

*Vernacule* Tinco.

*Obs.* Quoniam hujus speciei iconem in toties memorato naufragio et exemplaria sicca jacturam fecimus; operae praetium putavimus et exemplaribus siccis a Dombejo in Hispania relictis figuram delineare descriptioni, quam completam custodiebamus, adjungendam, nam iconem, quam ex D. Ludovici Neé plantis siccis sculpendam curavit D. Cavanilles incompletam et parum accuratum reputamus. Nomini etiam triviali *tricospermae*, nomen *dentatae* substituimus quod seminum villosorum characterem communem in cunctis nostris speciebus reperimus si *corymbosam scipias*. Asserit D. Cavanilles folia singula 9-11 foliolis constare; at in nostra 9-19 numerantur; foliola ovata esse serrata, et bistipulata, quae contra, obovata, nonnulla oblonga, dentata et stipulis destituta. Forsitan foliola D. Cavanilles non folia duas stipulas ad basim singulorum petiolorum per incuriam et aliud agens scripsit; sed re vera nos unam tantum utrinque offendimus, eamque interfoliaceam, cujus insertionem omisit in explicatione stipularum quam post petiolos adjungit. Praeterea icon stipulas in omnibus foliorum oppositionibus repraesentat; sed decidunt statim ac folia explicantur; quare non deciduas sed caducas easdem appellare debuit.

Postremo, racemos vocat axillares, secus ac in nostris exemplaribus siccis, et in plantis vivis saepius vidimus. Paucissimas capsulas in illis exhibet, easque superiores solitarias; at vero plures confertiores et ex eodem puncto prodeuntes easdem exhibere oportebat. Ad extremum ne justo longior observatio haec magis adhuc protrahatur, poterunt Botanici D. Cavanilles descriptionem cum nostra conferre et animadvertent quiquid ille omisit et nos supplevimus.

*Expl.* Ic. 1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Capsula cum calyce. 4. Eadem aperta. 5. Semina. Omnia aucta.



**Weinmannia reticulata.** Ic. 332, fig. a.

10. *W. foliis pinnatis ; foliolis ovalibus, crenatis, reticulatis ; petiolo alato, articulis obovatis, racemis terminalibus.*

**Arbor** procera, sempervirens.

**Truncus** erectus, teres, coma globosa, frondosissima, fusco-ater.

**Rami** brachiiati, teretes ; *adulti* atri, nudi ; *teneri* fusco-ferruginei, pubescentes, tetragono-compressi, foliosi.

**Folia** opposita, petiolata, patentissima, impari-pinnata, ut plurimum sesquipollicaria ; foliola 5-15, sessilia, ovalia, crenata, venosissima, utrinque pubescentia, supra nitida reticulata, foliolo terminali majori obovato vel oblongo aut ovato.

**Petioli** articulati, alati, articulationibus villosis, articulis obovatis.

**Stipulae** interfoliaceae, albae, pubescentes, caducae.

**Racemi** terminales, gemini, erectis, bipollicares, pubescentes, simplices, gemma interposita.

**Flores** numerosi, densi, subverticillati, pedicellati, 3-6 ex eodem puncto bractea ovata, acuta, concava, rubescente, sustentato.

**Pedicelli** breves, tenues, inaequales, uniflori.

**Calyx** rubescens, persistens.

**Petala** alba, extus leviter rubentia.

**Nectarium** purpureum.

**Stamina** petalis longiora. *Filamenta* capillari subulata.

**Antherae** luteae, subrotundae, didymae.

**Styli** longi, divergentes.

**Capsula** purpurea, minima, ovata.

**Semina** oblongo-reniformia, villosa.

*Habitat* in Peruviae Andium montibus subalpinis ad Pillao, Panao, Acomayo, Chaclla et Muña.

*Floret* Septembri et Octobri.

*Vernacule* Machi.

*Usus*. Ex trunco optimas tabulas et trabes quotidie elicunt.

*Explic.* Ic. 1. Flos antice visus. 2. Idem postice conspectus. 3. Calyx. 4. Petalum. 5. Nectarium. 6. Stamen auctum postice visum. 7. Idem antice conspectum cum anthera aperta. 8. Pistillum cum calyce. 9. Capsula dehiscens. 10. Eadem aucta cum calyce. 11. Semina.

**Weinmannia microphylla.** Ic. 334, fig. a,

11. *W. foliis* pinnatis, foliolis obovatis, serratis, venoso-lineatis, petiolo alato, articulis obovatis, recemis terminalibus.

**Arbor** sexorgyalis, sempervirens,

**Truncus** erectus, teres; coma frondosissima globosa.

**Rami** brachiati, teretes, atri, nudi; *teneri* fusci, pubescentes, te tragoni-compresiusculi, foliosi, brachiati, dichotomique, pubescentes.

**Folia** opposita, breviter petiolata, patentia, impari-pinnata: foliolla 7-19, obovata, obtusa, serrata, sessilia, glabra, nervo utrinque villosa, supra nitidissima, ut plurimum longitudine trilinearia latitudine sesquilineari, subtus venoso-linealata.

**Petioli** articulati alati, articulationibus pilosis, articulis obovatis

**Stipulae** interfoliaceae, solitariae, oppositae, cordato-subrotundae, membranaceae, reflexae, albido-rubicundae, deciduae.

**Racemi** terminales, gemini, erecti; in flore foliorum longitudine, in fructu foliis duplo longiores, hirsuti.

**Flores** numerosi, parvi, breviter pedicellati, 2-3 pluresve bracteola ovata, decidua subsingulis punctis.

**Calyx** persistens, rubescens.

**Petala** rosacea.

**Nectarium** obscure purpureum.

**Antherae** rubescentes, subrotundae.

**Capsula** rubicunda, parva.

**Semina** oblongo-reniformia, villosa.

*Habitat* in Andium montibus altis, frigidis circa Pillao vicum.

*Floret* Augusto et Septembri.

*Vernacule* Machi et Arbol del Peregil.

*Usus.* Incolae ex truncis tabulus et trabes ad varios usus per utiles eliciunt. Lignum satis durum et diu durabile.

*Explic.* Ic. 1. Flos integer. 2. Nectarium cum staminibus, auctum. 3. Nectarium auctum. 4. Capsula cum calyce. 5. Eadem dehiscentis. 6. Semina.

## TRIGYNIA

**CORNIDIA** Gen. pl. Fl. Per. et Ch. p. 53

### CHARACTER GENERICUS REFORMATUS

**Cal.** *Perianthium* campanulatum, germi accretum, obtuse trigonum, quadridentatum; *denticulis* minimis, deciduis; basi persistente.

**Cor.** *Petala* quatuor, obovata, concava, sessilia, margini interiori calycis insidentia, caduca.

**Stam.** *Filamenta* octo, margini interiori calycis inserta, subulata, petalis duplo longiora, quatuor alterna parum breviora. *Antherae* erectae, ovatae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes.

**Pist.** *Germen* trifidum, intra calycis basim. *Styli* tres, breves, subulati, divergentes, persistentes. *Stigmata* simplicia, acuta.

**Priec.** *Caps.* profunde trifida, tricornis, corniculis divergentibus, obtusis, trilocularis; loculis sutura longitudinali introrsum dehiscentibus.

**Sem.** numerosa, linearia, subscobiformia, striata. *Receptaculum* intra singulum loculum duplex, alatum, prope loculi marginem utrinque adnatum.

*Obs.* Nonnulli flores reperiantur pentapetali, et tunc germen quadrifidum; styli quatuor; capsula quadricornis, quadrilocularis, quadrivalvis. Paucissimi etiam flores quartam partem in omnibus fructificationis partibus adimunt.

### **Cornidia umbellata.** Icon. 335.

**C.** foliis oblongis, floribus umbellatis.

**Arbor** excelsa et frondosa.

**Truncus** erectus, teres, cortice fusco tecto, coma subrotunda ramosissima.

**Rami** teretes, passim cicatricibus anularibus notati; *teneri* striati, medullosi, nonnunquam hinc inde radículas breves veluti fasciculatas emittentes, fusco-cinerei.

**Folia** opposita, petiolata, oblonga, acuminata, integerrima, supra nitida, subtus venosissima, membranacea, uni-tripalmaria, latitudine sesquipalmari; *tenera* villis fasciculato-stellatis, utrinque obsita: *adultæ* glabra.

**Petioli** pollicares, connati, supra leviter canaliculati.

**Pedunculi** axillares terminalesque, solitarii, longi, clavati, striati, versus basim squamis quatuor per paria oppositas, lineari-subulatis, deciduis ad medium bi-quadrofolii, superne bracteati.

**Umbella** magna, inferne multiradiata; radiis divergentibus; superne descomposita, radiis sensim paucioribus; terminalibus dichotomis, purpureo-rubra, ante explicationem bracteis plurimis, subconatis, magnis tecta.

**Bracteae** rubro-purpurea, nervosae, extus lanugine brevi, decidua obsitae; *exteriores* sensim minores remotioresque ovatae, acuminatae, interioribus minus concavae, caduciores; interiores rubro-rotundae, acumine brevi, obtusae, caducae.

**Flores** parvi, pedicellati; *intermedii* sive ex dichotomis orti, sessiles.

**Calyx** rubicundus.

**Corolla** rubro-purpurea.

**Antherae** luteo virescentes.

**Capsula** purpurea.

**Semina** rubicunda.

*Habitat* copiose in Peruviae nemoribus circa Chinchao et Pozuzo vicos.

*Floret* Augusto et Septembri.

*Usus.* Ex trunco trabes et asseser extrahi possunt.

*Obs.* Inter succulentas Linnaei et inter sempervivas Ant. Laurent Jussieu hoc genus adjiciendum.

*Expl.* Icon. 1. Flos clausus. 2. Idem explicatus. 3. Petala. 4. Calyx cum genitalibus. 5. Pistillum cum calyce. 6. Capsula clausa. 7. Eadem aperta. 8. Capsula aperta, aucta. 9. Valvula dehiscens. 10. Eadem aperta semina demonstrans. 11. Valvula receptacula exhibens. 12. Semina. 13. Receptacula. 14. Fragmentum ramuli radicans.

**SEMARILLARIA** Gen. Pl. Per. et Chil., pag. 54, Ic. 9

CURURU Plumier, Gen. Pl. pag. 34, t. 35

**Semarillaria subrotunda.** Icon. 336.

1. S. foliis quinato-pinnatis, foliolis oblongis, superne serratis, capsulis subrotundis. Syst. Veg. Flor. Per. et Chil., pag. 92.

**Planta** fruticosa, scandens.

**Caulis** ramosissimus, obtuse angulatus, sulcatus.

**Rami** consimiles, leviter lanuginosi, ferruginei.

**Folia** alterna, pinnato-quinata; foliola oblonga, ovataque, breviter petiolata, impari obovata, remote a medio, ad apicem, serrata; *intima* sensim minora, supra glabra, nitida, subtus pubescentia ferruginea, venosissima; punctis plurimis, villosis ad venarum majorum latera utrinque alternatim positis; uni-tripollicaria, latitudine serquipollicari; venis postice glandula parva cava notatis.

**Petioli** *communes* semiteretes, supra sulcati, basi incrassati, incurvi; bipollicares, *partiales* consimiles.

**Racemi** axillares, terminalesque, subspicati; pedales et ultra, simplices, multiflori, dependentes, angulosi, lanuginosi, ferruginei, prope basim cirrhiferi.

**Cirrhi** oppositi, breves, simplices, compressi, extrorsum convoluti.

**Flores** breviter pedicellati, 3-8 ex singulo puncto, plures ante explicationem decidui, plerumque unicus adolescit, bractei totidem subulatis, parvis, deciduis, sustentati; bractea altera communi, lineari-subulata, longitudine flore ad singuli puncti basim decidua.

**Calyx** albido-lutescens, persistens, extus tomentosus.

**Petala** alba.

**Squamae** Nectarii albae, apice luteae.

**Filamenta** pubescentia. *Antherae* erectae, tetragonae lutescentes.

**Pistillum** tomentosum. *Stigmata* revoluta, intus glabra.

**Capsula** magna, pomi magnitudine, subrotunda, leviter trigona, rubicunda, apice trivalvis, trisperma; valvulis lignosis, crassis, extus carnosis.

**Semina** ad basim receptaculi centralis, triquetri, rubicundi affixa, obscure castanea, ovalia, nitida, arillo carnosio, albo, dulci, eduli, seminvoluta.

**Habitat** affatim in Peruviae nemoribus versus Chinchao, Cuchero et Pozuzo vicos, et in Vitoc via prope Collam et Pucara, ubi Joannes Tafalla offendit.

**Floret** Martio et Aprili, et in Vitoc Novembri et Decembri.

**Vulgo** Lucumas de Monte et Monte Lucuma.

*Usus incolae*: Arillum carnosum dulcem edunt.

*Obs. 1.\** Maximam certe affinitatem cum Semarillariae habent Genera *Toulicia* Aubl. Guyan, tab. 140, Jussieu gen. pag. 248. *Cupania* Plumier per Burm. pag. 101, tab. 110. Lin. gen. per Schr. pag. 253. Swartz Prodr. pag. 61. Juss. gen. 249. *Trigonis* Jacq. Amer. pag. 102. *Molinaea* Commers. Lamarck Illustr. gen. tab. 305. Jussieu Gener. pag. 248. *Guioa* Cavan. Icon. Vol. 4, pag. 50, tab. 373. Ex auctorum descriptionibus et iconibus adducti, praedicta Genera Semarillariae consocianda censemus. Autoptae in vivis conferant et decidant. Atamen memorati auctores in dictis plantis nullos cirrhos, quibus Semarillariae nostrae gaudent, describunt. *Guioa* Cavanill. ¿an potius Paullinae, quam Semarillaria congener?

*Obs. 2.\** In caractere generico Prodromi, pro stylus tribus et Capsula uniloculari, corrige, *Stylum* unicum, *Stigmata* tria reflexa, et *Capsulam* trilocularem.

*Obs. 3.\** Cum foliorum figura in omnibus nostris Semarillariae speciebus sit magis minusve conformis, nullam differentiam specificam omnino manifestam nobis praestitit; ideoque alias notas ad characteres específicos stabiliendos foliolorum figurae praetulimus.

*Expl.* Icon. 1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Petala. 4. Folio'a nectarrii cum glandulis. 5. Stamina. 6. Pistillum. 7. Capsulae valvula. 8. Semen intra arillum. 9. Idem absque arillo. 10. Receptaculum.

### **Semarillaria acutangula.** Ic. 337.

2. S. foliis pinnato-quinatis, foliolis oblongo-ovatis acuminatis, dentato-serratis, capsulis obovatis, triangulato-alatis. Syst. Veg. Flor. Per. et Chil. p. 93.

**Planta** fruticosa, scandens, hirsuta praeter foliolorum paginam superiorem.

**Caulis** angulatus, sulcatus, ramosissimus, medullosus, purpurascens.

**Rami** consimiles.

**Folia** alterna, longe petiolata, pinnato-quinata: foliola intima ovata, basi excavata, intermedia oblonga, impari obovato, acuminata, parum obliqua, remote dentato-serrata, venosa, bipalmata et ultra, latitudine bipollicari, breviter petiolata, supra nitida; denticulis postice glandula cava notatis.

**Petioli** striati, supra sulcati, basi incrassati, incurvi.

**Pedunculi** axillares, foliis breviores, sulcati, angulati, racemosi, a medium cirrhiferi, dependentes, ad basim squamis lanceolatis obovallati, deciduis.

**Cirrhi** breves, simplices, extrorsum convoluti, spiralesque compressi.

**Flores** sparsi 4-8 ex singulo pedicello communi, breviter pedicellati, bracteis totidem subulatis, deciduis, stipati.

**Calyces** purpureo-ferruginei, persistentes.

**Petala** obovata, lutescentia.

**Antherae** glabrae, tetragonae, erectae, lutescentes.

**Stylus** brevis, persistens. *Stigmata* reflexa.

**Capsula** obovata, triangulato-alata, apice triloba, trivalvis, rubicunda.

**Semina** globosa, castanei obscuri coloris; arillo carnosio, albo, cyathiformi seminvoluta.

*Habitat* in Peruviae nemoribus Pozuzo et Muña.

*Floret* Februario et Martio.

*Observatio*: Semen unicum tantum ad maturitatem pervenit, ideoque receptaculum obliteratur.

*Expl.* Icon. 1. Flos integer. 2. Capsula cum flore marcido. 3. Semen cum arillo. 4. Idem absque arillo. 5. Arillus.

### **Semarillaria obovata.** Ic. 338.

3 S. foliis pinnato-quinatis, capsulis obovatis, trispermis, basi dehiscentibus. S. foliis pinnato-quinatis, foliolis lanceolatis serratis, capsulis obovatis. Systema Vegetab. Flor. Per. et Chil. p. 93.



**Planta** frutescens, scandens, glabra

**Caulis** angulatus, sulcatus, medulosus, ramosissimus, rubescens.

**Rami** consimiles.

**Folia** alterna, longe petiolata; *foliola* acuminata remote serrata, serraturis posticè glandula cava notatis, venosa, ad basim venarum pubescentia; *intima* ovata, minora; *intermedia* oblonga; impari obovato-oblongo, uni-tripollicaria, latitudine ut plurimum sesquipollicari.

**Petioli** communes semiteretes, supra sulcati; basi incrassati, incurvati; partiales breves.

**Cirrho** axillares, furcati, spirales, simplices absque racemo.

**Racemi** axillares, solitarii, absque cirrhis, cirrhiferique, multiflori, erecti, pollicares tripalmaresque.

**Flores** sparsi, 3-7 ex singulo puncto, unicus tantum adolescit, bracteis totidem subulatis, decidui stipati.

**Calyx** rubescens, persistens.

**Capsula** obovata, lignosa, inferne trivalvis, trisperma.

**Semina** castanei obscuri coloris, nitida, arillo albo, carnoso inaequali obvoluta: *Receptaculum* triquetrum, obovatum, rubrum, acuminatum.

*Habitat* in Paruviae Andium nemoribus Pozuzo.

*Floret* Febuario et Martio.

### **Semarillaria nitida.** lc. 339.

4. S. foliis ternatis, capsulis turbinatis, acuminatis, subtrispermis.

**Suffrutex** scandenti-volubilis.

**Caulis** angulatus, sulcatus, rubescens, ramosissimus.

**Rami** consimiles, purpurei.

**Folia** alterna, ternata: *foliola* ovata, ovato-oblongaque, acuta, breviter petiolata, a medio ad apicem remote serrata, membranacea,

venosissima, nitida; serraturis obtusis, postice glandula conca-  
va notatis, venis majoribus inflexis ad basim pubescentibus.

**Petioli** communes subteretes, basi crassiores, subcontorti, supra  
sulcati.

**Stipulae** duae, oppositae, parvae, subulatae, caducae.

**Pedunculi** axillares, solitarii, tetragoni, foliorum fere longitudine  
horizontaliter patentes ad medium cirrhiferi, a medio ad apicem  
floriferi, purpurei.

**Cirrhi** oppositi, simplices, compressi, extrorsum convoluti.

**Flores** racemosi, breviter pedicellati, plerique ante explicationem  
caduci.

**Pedicelli** 2-5 ex eadem puncto, basi coaliti, bracteis totidem subu-  
latis, minimis, deciduis stipati.

**Calyx** persistens; laciniis reflexis.

**Petala** lutescentia.

**Glandulae** nectarii luteae.

**Capsula** turbinata, obtuse trigona, purpurea.

**Semina** obovata, usque ad medium arillo albo, spongioso ob-  
voluta.

*Habitat* in Andium nemoribus ad Vitoc arcem.

*Floret* Decembri et Januario.

*Expl.* Icon. 1. Flos integer. 2. Calyx auctus. 3. Petala tria cum  
nectaris foliolis. 4. Genitalia in receptaculo. 5. Stamina. 6. Pis-  
tillum in receptaculo. 7. Capsula cum calyce. 8. Capsula trans-  
versim secta. 9. Semina cum arillo.

### **Semarillaria alata.** Ic. 340.

5. S. foliis pinnato-quinatis; petiolis alatis, capsulis ovalibus tri-  
cospermis.

**Frutex** scandens, glaber.

**Caulis** triquetrus, canaliculatus, ramosissimus.

**Rami** consimiles.

**Folia** alterna, quinato-pinnata: *foliola* breviter petiola, lanceolata, oblongo-lanceolataque, acuta, acuminataque, obtuse dentata, denticulis remotis, postice glandula concava notata, venosa, ad venarum basim et per margines villosa, nitida.

**Petioli** *communes* alati, villosi; *partiales* brevissimi, non alati, pubescentes, alis per margines pubescentes, teretes.

**Cirrho** axillares, filiformes, triquetri, furcati, spirales convolutique.

**Racemi** ramei, congesti, plurimi, brevissimi, compositi, multiflori, pubescentes.

**Flores** parvi, pedicellati, bracteis minimis, ovatis, pubescentibus, stipati.

**Pedicelli** graciles, breves, superne incrassati.

**Calycis** foliola, subrotunda, alba, concava, exteriora minora.

**Petala** alba, obovata.

**Nectarii** foliola alba, apice lutea; duo pedicellata, duo sessilia.

**Antherae** erecte, luteae.

**Germen** hirsutum. *Stylus* brevis. Stigmata recurrata.

**Capsula** ovalis, rubicunda, obtuse trigona, apice trivalvis; valvulis concavis.

**Semina** ovalia, arillo seminvoluta.

*Habitat* in Peruviae Andium nemoribus Chicop'aya, ubi Joannes Tafalla hanc speciem delineavit et descripsit.

*Floret* Martio et Aprili.

*Expl.* Icon. 1. Flos integer. 2. Idem apertus. 3. Calycis foliola exteriora. 4. Calycis foliola interiora. 5. Flos absque Calyce. 6. Petala. 7. Foliola nectarii duo sessilia. 8. Duo altera pedicellata. 9. Stamina. 10. Pistillum. 11. Capsula. 12. Eadem dehiscens receptaculum demonstrans. 13. Semen cum arillo.

**Semarillaria enneaphylla.** Icon. 341. fig. a.

6. S. foliis biternatis, capsulis globosis, trigono-alatis.

**Planta** fruticosa, scandens.

**Caulis** striatus, purpurascens, ramosissimus.

**Rami** consimiles, leviter pubescentes.

**Folia** alterna biternata; foliola petiolata, ovata, acuta, serrata, venosissima, supra nitida, glabra, subtus ad venarum basim puncto villosa notata; serraturis postice glandula minima, concava, helvola ut plurimum tripollicaria, latitudine sesquipollicari.

**Petioli** communes semiteretes, supra sulcati, basi incrassati; *partiales*, breves, canaliculati.

**Pedunculi** axillares, terminalesque solitarii foliorum fere longitudine, striati, ad medium cirrhiferi, superne floriferi, racemosi.

**Cirrho** oppositi, breves, simplices, extrorsum convoluti.

**Flores** sparsi, plures ex singulo pedicello communi, Heliotropii spicis aemulantes; unicus tantum adolescit; reliquante explicationem decidui.

**Pedicelli** communes partialesque bracteola subulata, decidua subulati.

**Calyx** persistens, reflexus.

**Capsula** globosa, trigono-alata, rubicunda, avellanae nucis magnitudine, apice trivalvis, alulis versus apicem sensim productis, obscure striatis.

**Semina** globosa, nitida, castanei obscuri coloris, arillo albo semicincta.

Reliqua desiderantur.

*Habitat* in Peruviae Andium nemoribus Chinchao, unde Joannes Tafalla exemplaria sicca nobis anno 1796 misit.

*Floret* Aprili et Mayo.

*Observatio* Semen unicum adolescit, duo reliqua abortuunt.

*Explic.* Ic. 1. Semen. 2. Arillus.

## TRIGYNIA

**CARDIOSPERMUM** Linn. Gen. pl. p. 265

### **Cardiospermum Halicacabum.**

1. *C. villosum*, foliis longe petiolatis, foliis incisis, capsula parva.

*C. (Halicacabum) foliis laevibus.* Linn. Sp. pl. t. 2, p. 220.

**Planta** herbacea, scandens, villosa, annua.

**Radix** ramoso-fibrosa.

**Caulis** gracilis, ramosissimus, profunde striatus.

**Rami** flexuosi, purpurascens, consimiles.

**Folia** alterna, remota, longe petiolata, biternata; foliola ovata, ovato-lanceolataque, incisa, parvo acumine, sessilia, subsessiliaque, supra nitida, venosa.

**Petioli** uni bipollicares, profunde striati.

**Pedunculi** axillares, solitarii foliorum fere longitudine, nudi foliosique, tenues, striati, ad apicem cirrhiferi, 9-14 flori.

**Cirrhi** suboppositis, breves, compressiusculi, extrorsum convoluti.

**Flores** subcorymbosi, breviter pedicellati.

**Pedicelli** communes et partiales bractea sububulata, stipati.

**Corolla** albo, parva.

**Stylus** unicus. *Stigmata* tria, divergentia, pubescentia.

**Capsula** parva, trigona, inflata, trilocularis.

*Habitat* in Peruviae praeruptis callidis locis Limae, Lurini et Lurigancho, copiose ad Amancaes inter saxa, et petrosa loca.

*Floret* a Mayo ad Septembrem.

*Vulgo* Farolillos de Lomas.

**Cardiospermum Corindum.**

2. *C. tomentosum*, foliis breviter petiolatis, foliolis profunde crenatis.

*C. (Corindum)* foliis subtus tomentosis. Linn. Sp. pl. Tom. 2, pag. 220.

**Planta** herbacea, tomentosa, annua.

**Caulis** ramosissimus, profunde sulcatus, dense pubescens.

**Rami** angulati, sulcati, dilute purpurascens.

**Folia** alterna, remota, subsessilia, breviter petiolata, deflexa, bitermata; *foliola* ovata, subsessilia, subtus tomentosa, rugosa, venosissima, profunde crenata, crenaturis acuminatis; *intermedia* maxima, acuta; *lateralia* inaequalia multo minora, obtusa.

**Petioli** communes vix pollicares, *partiales* longi.

**Pedunculi** axillares, solitarii, horizontales, striati, longitudine foliorum, *superiores* foliis duplo longiores, sulcati ad apicem cirrhiferi, nudi, multiflori, 3-7 fidi, apice deflexi.

**Cirrhi** oppositi, breves, extrorsum convoluti.

**Flores** subumbellati.

**Pedicelli** communes, inaequales, subtriflori, bractea subulata, parva stipati; *partiales* brevissimi, bractea consimili sustentati.

**Corolla** alba.

**Stylus** unicus, brevis. *Stigmata* tria divergentia, hirsuta.

**Capsula** globosa, subtrigona, magna, inflata.

*Habitat* in Peruviae ruderatis et versuris, copiose in Huanuco et Huariaca.

*Floret* Januario et Febuario.

*Vulgo* Farolillos.

**SAPINDUS** Linn. Gen. pl. pag. 265

## CHARACTER GENERICUS REFORMATUS

**Cal.** Perianthium tetraphyllum, foliolis ovato-subrotundis, concavis, erectis, coloratis, deciduis; exterioribus duobus minoribus.

**Cor.** Petala quatuor, ovata, erecta, concava, duo magis appropinquata.

**Nectarium:** squamis quatuor, germen ambientibus.

**Stam.** *Filamenta* octo, subulata, basi latiuscula, villosa, petalorum fere longitudine superne conniventia receptaculo inter germen et nectarium inserta. *Antherae* erectae, cordatae, biloculares.

**Pist.** *Germen* trigonum, superum. *Styli* tres, erecti, coaliti, brevissimi. *Stigmata* simplicia, acuta, parum divergentia.

**Peric.** *Drupae* tres globosae, connatae, inflatae, uniloculares, carnosae.

**Semen.** *Nux* globosa, unilocularis.

*Obs.* In *Sapindo saponaria*. Calyx 5-phyllus, Corolla 5-petala, Nectarium annulare, carnosum, 5-sulcatum, Stamina 8, Drupae duae plerumque abortiunt, rarius omnes ad maturitatem perveniunt. In *Sapindo microcarpo*, Drupae plerumque duae adolescent, rarius unica, numquam tres.

**Sapindus Saponaria.** Ic. 342.

1. *S.* foliis junioribus impari-pinnatis, adultis bi-quadri-jugis, petiolis alatis, foliolis lanceolatis integerremis.

*S.* (*Saponaria*) foliis impari-pinnatis, caule inermi. Linn. Sp. pl. 220.

*S.* foliis oblongis vix petiolatis per costam ample alatum. Brow. Jam. 206.

**Arbor** sex orgyalis, glabra, valde amara.

**Truncus** erectus, coma frondosissima, cortice cinereo, ligno albidolutescente.

**Rami** patentes, teretes, granulosi.

**Folia** sparsa, petiolata; *juniora* impari-pinnata; *seniora* 2-4-juga; *foliola* subopposita alternaque subsessilia, lanceolata, obtusa, obliqua, integerrima, supra nitida uni-tripollicaria, venoso-reticulata.

**Petioli** communes alati, in foliis senioribus seta subulata terminati.

**Pedunculi** terminales, racemoso-paniculati, angulati, decompositi, pubescentes.

**Flores** numerosi, congesti a duo ad sex subsessiles, totidem bracteis minimis, ovatis, stipati.

**Calyx** 5-phyllus; *foliolis* ovato-subrotundis, albicantibus.

**Petala** quinque, concava, alba, intus pilosa, breviter unguiculata.

**Nectarium** lutescens, monophyllum, annullare, carnosum, quinquesulcatum.

**Stamina** octo, hirsuta.

**Styli** tres brevissimi, coaliti. *Stigmata* simplicia, acuta, parum divergentia.

**Drupae** lutescentes, globosae, punctatae, parum inflatae. Avellanae magnitudine, carnosae, duae plerumque abortiunt, rarius omnes ad maturitatem perveniunt.

*Nux* globosa, nitida, nigra. *Nucleus* ejusdem figurae, albus.

*Habitat* in Peruviae locis imis, calidis ad Limae, Chancay et Huancu Provincias.

*Floret* Januario et Febuario.

*Vulgo* Jabonera, et Fructus Jaboncillos, Bolillos, et Cholocos nuncupant.

*Usus*: *Incolae* fructum putamina ad lintea extergenda adhibent, quae aequae munda et nitida inde apparent, acsi lota saponis fuissent. *Nuces* ad puerorum ludus inserviunt.

*Folia* et *cortices* colorem luteum praestantissimum praebent,



quo laneas et gossypinas telas imbuunt. *Lignum* ad varia opera fabrilia valde proficuum est, flagratque optime. Cortices et sapore amaro et saponaceo praestant, et virtute antifebrili polleat judicamus.

*Expl.* Ic. 1. Flos integer. 2. Foliola calycis. 3. Petala. 4. Stamina et Pistillum cum nectario. 5. Stamina. 6. Pistillum cum nectario. 7. Pistillum. 8. Receptaculum flori cum nectario. 9. Drupae. 10. Drupa transversim secta nucem ostendens. 11. Nux. 12. Eadem transversim secta.

**Sapindus microcarpus.** Icon. 341, fig. b.

2. S. foliis ternatis, foliolis oblongis, serratis, petiolis semiteretibus.

**Arbor** procera.

**Truncus** erectus, cortice cinereo, coma frondosa.

**Rami** teretes, punctati, virides.

**Folia** longe petiolata, ternata; *foliola* breviter petiolata, obtuse acuminata, serrata, serraturis acuminatis, utrinque glabra, supra nitida, subtus venosa, exsucca, ad axillas venarum pubescentia; *lateralia* oblonga, *terminali* oblongo-obovato, duplo majori, bipalmari, latitudine bipollicari.

**Petioli** communes longi, semiteretes, basi apiceque incrasati.

**Racemi** axillares, teretes, foliis dimidio breviores, compositi, pubescentes.

**Flores** breviter pedicellati 3-6-ni, inaequales, albicantes.

**Pedunculi** communes et partiales bractea subulata stipati.

**Calyx** tetraphyllus, foliolis concavis, erectis, subrotundis; *duo exteriora* aequalia, breviora; *tertium* longius; *superius* emarginatum.

**Petala** quatuor, ovata, sessilia, staminibus breviora.

**Nectarium** squamis quatuor, oblongis, villosa-tomentosis, unguibus petalorum insertis.

**Filamenta** octo. Antherae luteae, subrotundo-cordatae.

**Germen** minimum, didymum. *Stylus* filiformis longitudine floris  
*Stigmata* duo, reflexa, rarius tria, tuncque germen trigonum.

**Drupae** duae globosae, connatae, inflatae, quarum altera saepe abortat; rarissime tres ad maturitatem perveniunt.

**Nux** globosa.

*Habitat* in Huayaquil nemoribus ad Caracol tractum.

*Floret* Novembri et Decembri.

*Expl.* Icon. 1. Flos integer. 2. *Foliola* duo calycis exteriora. 3. Tertium longius. 4. Foliolum calycis supremum. 5. Petala cum squamis nectarii. 6. Petala aucta. 7. Squamae nectarii auctae. 8. Stamina in receptaculo. 9. Stamen. 10. Pistillum. 11. Idem auctum. 12. Drupae. 13. Nux.

## POLYGONUM Linn. Gen. pl. p. 264.

### **Polygonum Persicaria**

1. *P.* floribus hexandris, digynis, spicis ovato-oblongis, foliis lanceolatis, stipulis ciliatis. Linn. Spec. pl. tom. 2, pag. 207.

*Habitat* in Peruviae et Regni Chilensis humidis et stangnatis.

*Floret* toto fere anno.

*Vulgo* Duraznillo.

*Observatio*: *Caulis* tripedalis, usque ad medium procumbens et radicans, inde erectus, dichotomus, teres, glaber, nitidus, nodosus, cavus, *rubescens*.

**Folia** lanceolata, ampla, angustaque, integerrima, medio maculata, saepe non maculata, margine breviter ciliata; vaginae membranaceae, superiores ciliatae.

**Spicae** terminales, oblongae, subpaniculataeque.

**Flores** breviter pedicellati, bini ternique ex singula vaginula, erecti.

**Corolla** alba quinquefida, rarissime quadrifida.

**Glandulae** 7-octo, parvae, lutescentes, ad staminum intersticia, quibus alternant.

**Styli** duo tresve.

### **Polygonum maritimum**

2. P. floribus octandris, trigynis, axillaribus, foliis ovali-lanceolatis, semper virentibus, caule suffrutescente. Linn. Sp. pl. t. 2, p. 209.

*Habitat* in Regni Chilensis locis maritimis, arenosis.

*Floret* Septembri.

### **Polygonum aviculare**

3. P. floribus octandris, trigynis, axillaribus, foliis lanceolatis, caule procumbente, herbaceo. Linn. Sp. pl. t. 2, p. 209

*Habitat* in Regni Chilensis arvis.

*Floret* Septembri.

### **Polygonum nitidum**

4. P. floribus octandris, trigynis, axillaribus, foliis ovatis, integerrimis, nitidis, caule articulato, repente.

**Planta** perennis.

**Cauli** repens, articulatus, ramosissimus, purpureus.

**Folia** breviter petiolata, ovata, nitidissima, integerrima.

**Flores** axillares, sessiles, viridiusculi, octandri, trigynis.

*Habitat* in *Peruviae*, copiose ad Tarmae oppidum, in parietibus et ruderatis.

*Floret* a Junio ad Augustum.

*Obs.* Iconem et exemplaria exsiccata hujus speciei in naufragio toties memorato amissimus.

**Polygonum hirtum**

5. *P. floribus pentandris, stylo semibifido, spicis laxis, foliis ovato-lanceolatis, vagini brevibus.*

**Planta** herbacea, hirta.

**Caulis** erectus, teres, cavus, tripedalis, divisus.

**Folia** vaginantia, ovato-lanceolata, acuta, integerrima, undulata, utrinque per venas et nervum hirsutiora, subtus punctis resinosis, supra obscure viridia.

**Petiolii** brevis.

**Vaginae** venosae, ciliatae, virides.

**Pedunculi** terminales, 2-5, erecti, bi-tripalmares, inaequales.

**Flores** laxè spicati 6-8 ex singulis vaginulis breviter pedicellati, totidem vaginulis distincti.

**Corolla** alba, regularis, quinquepartita.

**Stamina** quinque.

**Stylus** unicus, semibifidus.

**Semina** nitida, nigra, acuminata, parum compressa, corolla persistente obvoluta.

*Habitat* in Andium Peruviae nemoribus, locis inundatis, ad margines fluminis Huallaha.

*Floret* April et Mayo.

**Polygonum setosum**

6. *P. floribus pentandris, stylo bifido, spicis coarctatis, foliis lanceolatis, vaginis setosis, setis longissimis.*

**Planta** herbacea, bipedalis et rubra.

**Caulis** erectus, teres, glaber, cavus.

**Folia** subsessilia, vaginantia, lanceolata, acutissima, integerrima.

supra glabra, subtus per venas nervum marginemque pubescentia.

**Vaginae** pollicares et ultra, truncatae, hispidae, venosae, apice setosae; setis albidis, longissimis, flexuosis, erectis.

**Pedunculi** terminales, teretes, spicati.

**Spicae** alternae, distantes, erectae, bipollicares.

**Flores** 5-8 ex singulis vaginis, totidem vaginulis distincti, breviter pedicellati; vaginis et vaginulis apice ciliatis.

**Corolla** regularis, quadrifida, alba.

**Stamina** quinque, corolla longiora.

**Stylus** unicus, bifidus.

**Semina** corolla obvoluta, nigra, nitida, acuminata.

*Habitat* in Andium Peruviae nemoribus ad fluminis Huallaha margines prope Vehiza.

*Floret* Aprili et Mayo.

#### CLASSIS 8.<sup>a</sup>

**FRANCOA** Cavanill. Ic. Vol. 6, pag. 76.

#### CHARACTER GENERICUS REFORMATUS

**Cal.** Perianthium profunde quadrifidum: *laciniis* semilanceolatis, acutis, erectis, trinerviis; inferum, persistens.

**Cor.** Petala quatuor, oblongo-obovata, unguiculata, erecto-patula, calyce majora.

**Nectarium:** *Glandulae* octo, erectae, lingulatae, apice retroflexo, filamentis alternantes, iisque dimidio breviores, persistentes.

**Stam.** *Filamenta* octo, erecta, subulata, receptaculo inserta, calycis longitudine, persistentia. *Antherae* erectae, ovatae, utrinque emarginatae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes.

**Pist.** *Germina* quatuor, oblonga, connata, longitudine glandularum. *Styli* nulli. *Stigmata* quatuor, rhomboidea, adpressa, in fructu patula.

**Per.** *Capsulae* quatuor, oblongae, intime coalitae, stigmatibus coronatae, ab apice ad medium fere introrsum, longitudinaliter dehiscentes, univalves: *valvulis* cymbae formibus.

**Semina** numerosa, cuneiformia, marginibus valvularum affixa

*Obs.* Hoc Genus a Sedi Genere in partium fructificationis numero et habitu foliorum tantum differt.

### **Francoa lyrata**

F. foliis lyratis, scapo simplici divisoque multifloro, petala ad medium maculatis.

*Francoa (appendiculata)* acaulis foliis cordatis ovatis, obtuse angulatis: petiolis appendiculate foliosis. *Anales de Ciencias Naturales*, tomo 4, pág. 237. Cavanilles Icon. vol. 6, pag 77, tab. 596. *Llaupanke* amplissimo sonchifolio Feuillée tom. 2, pag. 742. pl. 31.

**Planta** herbaea, annua, villosa.

**Radix** subperpendicularis, ramosa, flexuosa, fibrillosa, fusca, intus alba, sublignosa, calami scriptoris crassitudine, 2-3-palmaris

**Scapus** erectus, 1-3-pedalis, simplex, aliquando divisus, teres, nudus, superne multiflorus, viridi-rubescens.

**Folia** radicalia, ut plurimum tripalmaria, conferta, orbiculatim, erecto-procumbentia, lyrata; *lacinia terminali* cordata, obtusa, sinuata; *reliquis* sensim minoribus decurrentibus usque ad petiolorum basim, inaequaliter denticulatis.

**Petioli** semiamplexante, plani, alati, dentati, alternatim imbricati.

**Flores** terminales, racemosi, sparsi, breviter pedicellati.

**Pedicelli** bilineares, bracteola suffulti.

**Bracteolae** lanceolato-subulatae, pedicellorum longitudine, erectae, inferiores saepe denticulatae.

**Calyx** viridi-rubescens, corolla triplo longior.

**Petala** quatuor, albido-rosea, ad medium macula violacea, subcarinata, venosa.

**Nectarii:** Glandulae octo, virides.

**Filamenta** rubicunda. *Antherae* lutescentes.

**Pistillum** virescens.

**Capsulae** quatuor, rubescentes, ovatae.

**Semina** fulvescentia.

*Habitat* in Conceptionis Chile, Itatae, Puchacay et Rere uliginosis, copiose ad Carcamo, Talcahuano, Gavillan, Chiguayante, Mochita tractus.

*Floret* Februario et Martio.

*Vernacule:* Llaupanke.

*Obs. 1.\** Quaquam Talcahuani regionem saepius diligentissime perlustravimus a die Januari trigesimo anni 1782 quo appulimus ad diem 19 Martii anni 1783 quo a Conceptionis urbe ad Div. Jacobi urbem profecti sumus nullam *Llaupanki* speciem videre nobis licuit praeter descriptam et a P. Feuilleo delineatam; atque adeo quam D. Née in eodem tractu invenit uti inter alia D. Ruizio retulit statim ac Matritum rediit eadem censenda est; quamvis ex descriptione et icone quas *Francoae appendiculatae* edidit D. Cavanilles dubitari posset eadem speciem esse, siquidem flores unilaterales cum bracteis a pedunculis remotas, et petiolos non alatos sistit. Feuilleus vero flores sparsos uti vere sunt per scapum repraesentat cum bracteis pedunculis appropinquatis petiolis alatis, uti ipse Cavanilles eosdem describit et apparent in duobus exemplaribus siccis a Cl. Sodali nostro Dombejo in Hispania relictis, et quemadmodum etiam ex nostris adversariis contat. Jam vero cum D. Cavanilles in suis Iconibus figuram et unius speciei descriptionem dederit; mirari subit alterius non evulgasse, ut earum discrimen appareret; nam in observatione tantum innuit alterius speciei exemplar se non vidisse, et noticiam ejus ex D. Neeo solum auxisset.

*Obs. 2.\** Mirandum adhuc magis est Dominum Cavanilles in Genere *Francoa* unum tantum germen et stigma, et fructum quadri-

capsularem cum seminibus suturis adhaerentibus describere. Verum cum *Francoa* ad Sempervivarum Jussiei familiam pertineat; debuit D. Cavanilles germina quatuor, stigmata quatuor, et totidem capsulas cum seminibus earum marginibus non suturis adhaerentibus describere.

*Obs. 3.<sup>a</sup>* Hujus plantae iconem in naufragio amisimus. Damus tamen reformatum ejus characterem genericum et descriptionem quam D. Cavanilles in suis iconibus evulgavit.

*Obs. 4.<sup>a</sup>* De *Francoa appendiculata* scribens D. Cavanilles: *attamen, inquit, numquam observavit (Ludovicus Nee) florem pentapetalum, qualem Feuilleus Llaupanke concessit. Si ambae plantae genere conveniunt, ut Nee suspicatur diversas species efformabunt, truncque illa Feuillei Francoa sonchifolia poterit nominari, quamquam incolae eodem vernaculo nomine eas indigent, Llaupanke scilicet.*

Feuilleus in Llaupanke descriptione pag. jam citata haec scribit: Flos primarius, remotior scilicet ab spicae extremitate, sex habet petala; reliqui quatuor gaudent: unde evincitur D. Cavanilles una cum D. Neeo Patri Feuilleo, quod nunquam scripsit, tribuisse; nam vel in icone florem primarium hexapetalum representat.

## TETRAGYNIA

**PORLIBRIA** Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p. 55, Icon. 9.

**Porlieria hygrometra.** Icon. 343.

1. *P.* foliis abrupte pinnata, foliolis linearibus.

**Frutex** quadriulnaris, subspinosus.

**Caulis** erectus, ramosissimus, teres, cortice scabroso, rimaceo, cinereo.

**Rami** naturaliter oppositi, altero plerunque abortiente, sparsi, divergentes, parum tortuosi: *juniores* erecti, nocte deflexi; *Ramuli plurimi* breves, spinaeformes, subincurvi, foliosi.



**Folia** opposita, in ramis teneris solitaria, in adultis 2-4 ex eodem puncto, abrupte pinnata, breviter petiolata: *foliola* minuta, 8-11-juga, linearia, obtusa, integerrima, avenia, supra glabra, subtus pubescentia, subsessilia, intima extimaque sensim minora, die expansa noctu contracta, superimposita, longitudine vix triliniari, latitudine lineari.

**Petioli** communes pubescentes: partiales vix manifesti, pellucidi.

**Stipulae** duae, oppositae ad petiolorum basim, parvi, aculeiformes, rigidulae, fragiles.

**Pedunculi** ex punctis foliorum 3-4-aggregati, breves, tomentosi, uniflori.

**Calyx** tomentosus ferrugineus.

**Petala** calyce duplo longiora, patula, albida.

**Nectarii** squamae albae.

**Antherae** incumbentes, ovales, luteae.

**Pistillum** viride.

**Drupae** quatuor, connatae, stylosum basi acuminatae, parum carnosae, nigrae, Pisi parvi magnitudine.

**Nux** oblongo reniformis, violacei coloris.

**Habitat** copiose in Peruviae ruderatis et apricis, ad Huanuco urbem et Reyno Chilensi urbem Coquimbo versus.

**Floret** toto fere anno in Huanuco.

**Vernacule** in Huanuco *Turucasa*, id est Spina fragilis et non pungens. In Chile Huayacan nominant.

**Observatio**: Lignum quod igni optimum est, a Chilensibus eximium sudorificum et antirrhematicum censetur.

Tornatores Regni Chilensis, ubi trunci crassiores, quam in Peruvia proveniunt, scipiones, cylindros, columnellas, manubria, globulos lusorios et crenatos tractiles, vasa, cochlearia, pectines, aliaque instrumenta ex hujus fruticis Ligno (Buxo venis colore et duritie satis simili) conficiunt. *Frutex* ramosissimus est, et sempervirens, ideoque per utilis ad sepes agrorum formandas. Folia die vigilant, noctu dormiunt (ut plaeraeque plan-

tae foliis pinnatis): tunc enim petioli ramulisque ita firmiter contracta sibi invicem adhaerent, ut foliis nuda et veluti sicca appareat planta; serenitatem et tempestatem denuntiant; cum primum enim lucescit dies serenus, explicari incipiunt, et post bihorium penitus evoluta apparent: vespere vero dummodo sequens dies futurus sit sudus, dimidia ante solis occasum hora contrahi incipiunt; si autem subsequens dies nubilus procellosusque futurus fuerit una jam ante solis occasum hora, se contrahendi initium faciunt, vixque alia dimidia elapsa est, cum jam sunt, penitum ad somnum composita. Cum vero dies presens nubilus est, et tempestuosus, tunc folia post solis ortum evolvi incipiunt, et ante sesqui horam explicata sese ostendunt, tandem si in vespera diei praesentis magna post meridiem pluvia acciderit, et planta maduerit, folia ante vel paulo post solis occasum penitus clauduntur. Haec phenomena, pluries in Huanuco primum observata, in navigatione a Peruvia ad Gades et Madritum usque quotidie comprobata fuerunt.

*Explic.* Ic. 1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Petala. 4. Stamina. 5. Pistillum. 6. Drupae. 7. Drupa. 8. Nux

**GALVEZIA.** Gen. pl. Fl. Per. et Ch. p. 56.

**Galvezia punctata.** Ic. 344.

1. G. foliis lanceolatis oblongisque, serratis, punctato-pellucidis.

**Arbor** sexorgyalis, semper virens, frondosa, elegans.

**Truncus** erectus, teres, parum crassus.

**Rami** erecto-patuli, terni, teretes fusco-cinerei.

**Folia** terna, rarius opposita, lanceolata, oblongaque, nonnulla oblongo-obovata, breviter petiolata, obtuse serrata, nitida, marginibus parum reflexis; supra minutim punctata, punctis pellucidis, 1-6 pollicaria, latitudine ut plurimum bipollicaria; inter digitos trita odorem terebentinaceum admodum ingratum spirant.

**Pedunculi** axillares, solitarii, foliis duplo breviores, erecti, leviter pubescentes, pauciflori.

**Pedicelli** *communes* divisi: *duo* inferiores oppositi; superiores terni; *partiales* triflori, bracteolis minimis, ovatis acutis suffulti.

**Calyx** corolla triplo minor, vix pubescens.

**Petala** alba, utrinque pubescentia, calyce majora, oblongo-ovobata.

**Antherae** incumbentes, ovato-subrotundae, basi excavatae, biloculares, purpureae.

**Germina** parum pubescentia corpori glanduloso columnari insidentia. *Styli* subulati, adpressi, leviter subcontorti.

**Drupae** quatuor, liberae, punctatae, plerumque duae, aliquando tres abortiunt, purpureae.


*Habitat* in Regni Chilensis nemoribus provinciam Conceptionis, Puchacay, Itatae et Colchagua in stagnatis, et ad margines rivulorum.

*Floret* Octobri et Novembri.


*Vernacule* *Pitau*.

*Vires et Usus*: *Folia* fragrantia et aromatica sunt; virtutem carminativam et resolutivam, pellentem et digestivam habent.

*Explic.* Ic. 1. Flos integer. 2. Calyx. 3. Petala. 4. Stamen postice visum. 5. Idem antice conspectum. 6. Pistillum cum calyce, et corpore glanduloso. 7. Drupae. 8. Drupa. 9. Nux. 10. Nucleus.



CCCXXVI.



ARTHROSTEMMA *ciliatum*

*L. Galtier, del. et inc.*

CCCXXVII.

*ARTHROSTEMMA cubicalatum.*

CCCXXVIII.



J. Bracte del.

J. Querc. inc.

*NEEA verticillata*

CCCXXIX.



La Calce del

Em. Neeser 25.

*NEEA oppositifolia.*



CCCXXX.




*Le Galles del*

*a* WEINMANNIA *pentaphylla*.

*b* WEINMANNIA *corymbosa*.

*Wied. Opunt. etc.*

CCCXXXI.




L. Galvez del.

J. M. Vaya del.

*a* WEINMANNIA *ovifolia*.*b* WEINMANNIA *heterophylla*.

CCCXXII.




*Lo Galvez del*

*a* WEINMANNIA *reticulata*.

*b* WEINMANNIA *canroa*.

*J. Quercus del*

CCCXXXIII.




V. Poir. del.

J. Goussier sculp.

a WEINMANNIA ovalis.

b WEINMANNIA ovata.

CCCXXXIV.




" WEINMANNIA *microphylla*.    *W. subsaxatiflora*.    *W. dentata*.

CCCXXXV.

*CORNIDIA umbellata.*

CCCXXXVI.




N. Cavanilles del.

N. Cavanilles inv.

*SEMARILLARIA subrotunda.*



CCCXXXVII.



V. Briscoe del.

SEMARILLARIA *acutangula*.

F. M. Torres incisa



CCCXXXVIII.



*De Cavanilles del.*


*et Querol del.*

*SEMARILLARIA obtusa.*

CCCXXXIX.

SEMARILLARIA *nitida*.

CCCXL.




J. V. Boscá del.

Elm. Alpercaz inc.

SEMARILLARIA *alata*

CCCXLI.



*SEMARILLARIA encneaphylla.*

*SAPINDUS microcarpus*

CCCXLII.



F. Paolozzi del.

F. Paolozzi del.

*SAPINDUS saponaria.*

CCCXLIII.




J. Váñez del

N. Cole del

*PORLIERIA hygrometra.*

CCCXLIV.



D. Velez del.

D. Soria del.

*GALVEZIA punctata.*